This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Google

Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

C 316.35.10

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

VE RI
TAS

BOUGHT WITH THE INCOME OF THE
JOHN L. WARREN FUND

JO: BRUNATII
CHARTARUM
CŒNOBII S. JUSTINÆ
EXPLICATIO.

PATAVII MDCCLXIII.

EX TYPOGRAPHIA CONZATTI.

SUPERIORUM PERMISSU.

93

316.35,10

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
DEC 28 1964

J. Warren

AD JOANNEM

AUGUSTINUM GRADONICUM

PONTIFICEM CLUJENSEM

PRÆFATIO.

V*Olunt Cassinenses tui, Præsul ornatissime, dissertationes meas edi; volunt eas inscribi tuo nomine: tui monachi jubent me Brunatium tuum venire cum scriptis ad te meis in defensionem chartarum suarum factis: id optabant*

in primis ii, quos diu noveras tibi devotos, qui te non semel hic hospitantem consueverant adcuratius aliis habere, te comitari, vetustatem loci vetustatesque tecum tractabant, ab ore tuo pendebant, ii simul ex hac familia Divæ Justinæ: quos quidem scis atque amas; ut amant ii te maxime coluntque præ ceteris hominibus. Ego magis iis omnibus id etiam volo, Te Gradonicum spectatorem laboribus ac studiis adesse meis: id enim solebas. Ac mihi præsentior olim testis & inspectator adstitisti: cum dies integros apud te Venetiis instituerem: tuque me quotidie recipiebas in ædes, non dico Gradonicas; hoc enim tui majores a multis annis faciunt; at in eas ad Georgii Majoris, in conclave tuum prorsus; apertis autem thesauris tuis bibliotheca, musæo, tabulario, cum reliquis hujusmodi bonis. Ergo meas antiquitates, immo nostras, ibi tractabam, describens de pergamenis, observans, intendens: iique dies mihi decurrebant unus impransus & alius, alii post, aliique, denique mensis; ut curiosius adnotasti; jocatus ob hoc inter amicos: ex quibus & Savorgnanus id adrisit mihi, vir Senator, antiquæ nummariæ parens, adfinis tuus. Hæc ego videbar ante tres annos ita pertractans apud te tuosque, Gradonice pontifex. Ceterum sic mihi pro more meo vita traducitur: hæc operis assiduitas in hos annos, in alios erat: dum se diligentiæ meæ prodidit immensitas instrumentorum, quæ non ab ignavissimis attendebatur: iique moram scilicet meam pro

sto-

stoliditate quadam sua contemnunt. Nam simili modo studioque descripsi per eos menses archivum Castellanum, quod mihi post tuum reseraveras: industriamque meam simul experiebaris ab hac quoque parte. Tam soles, ut dixi, præsens laboribus ac studiis meis adesse. Quingentas utroque de tabulario membranas exscripsi quinque mensibus, omnes antiquioris ævi, seculo notatas undecimo duodecimoque, plerasque de suis originalibus. Id quantum sit, æstimant homines artis: æstimas tu præsertim sciens eam. Nec dubium, quin id ingens incrementum fuerit antiquitatum Patavinarum: quod tibi debebimus. Ex eo me recepi Patavium, proximus huic bibliothecæ vestræ Cassinati: nam sine ea parum processissent mihi res contentionesque meæ pro domesticis eruditionibus. Hic eas agito mecum; debuique retractare; nec ad arbitrium meum, sed ut instrumentorum conditio voluit; multoque minus ut placeam vanis: at publicum bonum privatorumque de vetustatis investigatione consectando. Nunc habebis aliquod experimentum propositi mei. Nam tuos apud monachos amicos meos hæc sæpe commemorans, adjiciensque maxime de cœnobii sui documentis, ut ea prorsus ab injuria vendicaverim, sensi paulatim cupere eos de toto corpore meæ tractationis has sibi partes accipere, quas aliquando præoccupatis inculcarent. Ita fecerunt ut ederem. Atque ægre mihi demum fuit exagitari diutius innocentiam chartarum fal-

ſis accuſationibus atque adeo ludibriis a quolibet hominum genere, doctis indoctis, honeſtis inhoneſtis. Ea vero gloria magnificæ domus ac religionis honorificentiorem de ſuæ vetuſtatis inſtrumentis opinionem ſibi depoſcebat apud mortales. Hic itaque finis erit diuturnis quæſtionibus: habebimuſque noſtræ definitionis autorem te Gradonicum: qui ſimilibus argumentis eras exercitatus; idem talium diſputationum ſcriptor & judex. Opera proſtant tua partim rei nummariæ, partim diplomaticæ; ſimul aliqua alia comparas in utramque facultatem: nec in iis minus es probus ac ſolers, ut in omni vita moribuſque tuis. Hic aliquid adderem de me, niſi videretur arrogantiæ, benignitatem alterius in laudem ſuam vertere. Diſſimularem de te, niſi quædam putaretur improbitas, amicorum beneficia non, in tempore locoque, ſaltem commemorare. Tu ſcriptis in iis tuis vulgatis vulgandiſque me nimium, Gradonice, prædicas. At ex te viro tanto vide, quale mihi bonum ſit hoc apud bonos. Unum ex iis operibus in publicum proferens id mihi dedicaſti; tu, mihi: præſtiteras id officium tu mihi, quod alio quidem jure debitoque meo nunc impendo tibi. De quo tuo opere nunquam ceſſabam vel admirari vel dicere; quod præſertim tam pulchre faceret hiſtoriæ meæ: quæ cauſa fuit quoque cur mihi dedicares. Ob eandemque cauſam, cum debuiſſem paulo poſt id inſerere ſcriptum tuum faſtis Patavinis, in id præfabar hujuſmodi verbis meis, ut

huc

huc transfero. Inventum, *inquam*, prorſus admirabile proditur Auguſtini Gradonici. Vulgavit is libellum præteritis menſibus; inſcripſit & mihi: ſeu benevolentia quadam ſua fecerit, aut argumenti noſtratis opportunitate, vel utraque res animum ejus ad meum decus incenderit. In quo libro ſic inſtituit præclarus autor, idem fuiſſe Veicetinorum comitum, quod in hanc ætatem viget, Patavinorumque, præterea Candianorum ducum Venetorum genus. Hoc invenit aſſeruitque de monumentis egregius autor; & hoc inventum profeſſores antiquitatis admirandum ſemper habebunt. *Hæc ibi pro te meritoque tuo commentabar. Ac noſtris erit ſemper is artibus bonos, eas a te diligenter excoli, multumque promoveri. Nunc ades omnino. Tu diu monachus exercitationes monaſticas, tu Patavinis meis illuſtrator illuſtrationes Patavinas accipies in hoc libro meo quem damus: accipies eo autem animo, quo nos damus.*

Hæc &, magis ut placeant tibi, nonnumquam decoravimus; aliis aliiſque locis eos adpoſuimus ornatus & argumento quemque ſuo conſonos, aut ex eruditione tua; nonnullas ædificiorum ſpecies, alibi ſanctorum priſcas imagines, etiam lapidem cum ſua inſcriptione, monetas alibi, denique bullas plumbeas: ita varium fecimus opus hac quoque diſtributione, quod in ſuis aliis erat partibus: hoc enim legendo comprobabis.

Ad primum libri caput appositus est domestici templi conspectus, ut ex architecto fuit olim suo: nam cæteri post immutarunt. Audiebam sæpe mirantes homines, ædem Justinæ tanto consensu præcipuis intus in partibus, extra dissolvere se per omnes angulos: omnino vix eundem videri machinatorem vel interioris, aut exterioris apparatus; alio singulis architecturæ legibus, alio fere nullis. At ii viderint, inquam, homines, ut ea res fuit. Unus erat quidem tractator interius exteriusque: sed invaserunt utrimque novatores; intra nonnihil attigerant, foris omnia turbarunt. At ex his typis apparet, ut hæc haberetur olim basilicæ facies. Ejus exemplar edidi, quod apud me superest ex chartaceo quodam codice; præter alia quæ minus efficiunt, etsi prostarent.

Alterum ex iis quæ ponimus ædificiis expectabat ultimum libri caput. Huc pertinet explicatio de Patavino quondam theatro, quod Zairum charta vocabat. Hæc id apud Patavinos ædificium *scilicet ingens ait fuisse, quod in ruinas evaserit: ex quibus ingentes etiam superesse dicebat reliquias; ut ex murorum fragmentis adhuc nostri pontifices effoderent quosdam lapides, alibi magnis, ut asserunt, debitis persolvendis. Hæc eo modo scriptum publicum referebat ex tabulario sanctæ Justinæ. Tum venerat ad manus aliquid huic descriptioni simile de tabulis Eugubini quondam theatri: quas etiam videbatur in hoc tempore Sartius ac-*

co-

commodavisse meis usibus. Eas igitur huc transtuli. Nam proferunt destructum seculis antiquissimis opus: ac reliqua vix membra manent aliqua tamquam vasti quondam corporis: ut Patavinum quoque nostrum scriptiones undecimi seculi repraesentaverant.

Ad quintum libri caput ad chartas memorabiles Opilionis appositus est lapis Opilionis. Hoc nomen eo perrupit, in historiam quoque S. Prosdocimi, quae de summis affectat antiquitatibus: adeo se temerarios aliquando scriptores habent. Id audent ii nunc: erat, *inquiunt*, in hac civitate Patavii quidam patricius nomine Opilio vir christianissimus, qui revelatione ammonitus construxit ecclesiam in honore sanctæ Justinæ. Et prope eam de lapidibus preciosis & opere misoleo fecit oratorium in honore sanctæ Mariæ. Quam ecclesiam simul cum oratorio Sanctus Prosdocimus consecravit: & ibi plurimas sanctimoniales foeminas deo servientes ordinavit. *Hæc apud scriptorem vel enscriptorem Vitæ S. Prosdocimi. Quas ego farragines habui tamen ex codice seu etiam sæculis. Aliæ sunt scriptiones historiarum sancti Danielis. Huc enim processit Opilio cum titulis iis, ut* Vir Clarissimus & Illustris Præfectus Pretorii atque Patricius. *Harum quoque scriptionum conditores ultra sexcentos annos, enscriptores æstimant se quadringentis. Ac lapis Opilionis omnes eos titulos jactabat. Eos autem existimo, vel ex lapide transductos in codices: aut qui falsarius*

hæc comminiſcebatur , eum codices ac lapidem ſimul imponere. Poſtquam chartas Opilionis ea fide probatas, ac tempore ceteriſque notis in hoc libro certas habuerimus, excidunt alia quæ non eo conveniunt; etſi multam vetuſtatem ferant: at minorem chartis iis autoritatem ferunt. Huc ergo lapidem quoque deſignabam pro monumento quodam ſtudioſis: at ut monerem, poſt bonas tabulas id eſſe. Dedi tamen accuratius aliis editoribus. Habetur altius ad murum qui nobiliſſimo, *quod ait Cavacius*, ambulacro veterem eccleſiam novo templo conjunxit.

Alio ſunt genere meritoque figuræ duæ, quas ex marmoreis tranſtulimus in hos typos, alteram principio libri, alteram fine, Divos duos Juſtinam, Proſdocimumque cum ſuis loculis, ac litteris: ex quibus & ſumpſimus indicium præſertim temporis. Examinatis enim ſimilibus alibi ſcalpturis ac notis, ita noſtræ videbantur appetere ſæculo duodecimo. Nec alia forma ſe dabant litteræ plures ex iis quæ proſtant Eccleſiarum *Veronenſium libris primo alteroque, pro duabus inſcriptionibus, alia MCXLIX. alia circiter anno MCXLI. Nobis autem Patavinis hæc Juſtina coronato capite Reginam ſe prodit: ac pomum dextera ſua fert, id etiam pro regio decore. Nam Godefridus eo ſæculo Viterbienſis interrogat:* quid ſignificet globus aureus, qui regum manibus geſtatur? *iiſque verſibus reſpondet*: aureus ille globus pomum vel palla vocatur; Quando

coro-

coronatur, palla ferenda datur. *Apud Heineccium capite nono*, ſigillum Mariæ *deſcribitur* Ottonis quarti conjugis *exhibetque* Auguſtam coronatam; dextra lilium; ſiniſtra globum ſine cruce *pomumque tenet: unum tenent Auguſti globum pomumque cum cruce. Noſtrum Juſtinæ tamquam Reginæ caret cruce. Stat loculo Proſdocimus alio cum ſuis pontificalibus, adhibens eam capiti mithram, tenetque manu* ferulam, *quod ajebant, utramque plenas eruditionibus. In primis uncus is paſtoralis, ut ſerpens, ita eſt; qualis eburneus a me datus hiſtoricis Camaldulenſibus; inſculptus & iis notis* anno Domini M.C. *quem toties ad D. Michaelis inſpectaveris, Auguſtine Præſul. Hi vero Caſſinenſes habent in ſuis ædibus imagines, quas dico, marmoreas duas, aliaſque ſimul uno quidem loco, ſimul alias alio: nec eo de genere tantum prætenditur alibi religionis aut antiquitatis apud noſtrates.*

Ac mihi Juſtinas alias addere placuit ex vetuſtatibus aliis, ut ex nummis duobus, utroque Carrigeris, quos hic ad ornatum præfationis appono. Quippe de monumentis admodum raris habebantur officinæ Patavinæ. Prorſus ego numquam prodita Collectoribus huc edo. Crux iis media eſt, quam ſculptam ferunt, eam ſignum præclariſſimum tuæ dignitatis, Auguſtine Pontifex. Etiam bullas ex plumbo duas in hoc ordine diſpoſui, pares ætate nummis iis duobus. Hic enim te probibere non oportebat aut decora familiæ tuæ, Pa-

tavinosque fastos. Ita qui duos ego nummos habeo, codicem quoque possideo similis antiquitatis, adpictis extra Carrigeris insignibus; intus eo titulo modoque se profert: Liber omnium inquisicionum, denunciacionum *&c.* coram judice & assessore spectabillis & egregii militis Domini Jacobi Gradanico de Veneciis, civitatis Padue honorabilis potestatis, anno D. N. J. C. millesimo trecentesimo nonagessimo secundo, indictione quintadecima. *Rursus ab anteriore parte fila pendent medio latere duo, cum bullis iis ex plumbo, signis prætoris urbis. Earum faciem priorem crux Patavinæ civitatis habebat, ut edimus; alteram capit stemma Gradonicum. Quæ duo rara simul erant sigilla, velut nummi duo; qualia nuspiam viderimus hactenus ex Patavinis Venetisque Vestris. Igitur æquas antiquitates in unum collocabam, vel eas Justinæ, quo numine liber hic asseritur, aliasque Gradonicas, quo nomine vulgatur.*

Le-

Legendum.

Pag.	23. lin.	17.	ceperat
	45.	7.	tantummodo
	47.	23.	quem-ad-modum
	48.	10.	ditionibus
	79.	27.	presbyter *&c.*
	94.	3.	ſatis
	95.	20.	Mathiæ
	113.	2.	earum

Addendum. Pag. 142. lin. 23.

Eſt calendarium Patavinum principio ſeculi duodecimi tenens ad eam diem III. nonas Januarias hanc notam *Sanƈti Danielis Martiris*: ut dat hiç apud noſtrates archivum Domus Dei.

Notandum.

Quod fit in hoc ſtudio noſtro, dum veteres ediſſererem chartas, aliquando retinui falſas earum latinitates: nec has tamen ego ſemper alio charaƈtere diſtinxi, quod in hoc etiam ſtudio noſtro ſolet. Nam volui nonnumquam credere leƈtorum vel peritiæ qui ſine diſtinƈtione mea ſcirent diſtinguere; vel benevolentiæ, qui barbaries alienas mihi non imputabunt.

CAP.

CAPUT I.

VENANTII FORTUNATI

SI PATAVINA TIBI PATEAT VIA, PERGIS AD VRBEM ET SACRA IVSTINÆ ROGO LAMBE SEPULCHRA BEATÆ CVIUS HABET PARIES MARTINI GESTA FIGURIS

LIB. IV. VIT. S. MARTIN.

CAPUT II.

Ildebrandi Regis Italiæ.

DE cœnobio Sanctæ Justinæ testimonium est Langobardis temporibus. Hæc enim vetustas æstimatur ex præcipuis in hoc ordine. Quæ per Italiam quoque claustra virorum fœminarumque nobiliora manent, ea vix aliud ævi spatium sibi vendicare solent. Ac de paucis aliis alia consideratio tenebat. Habemus igitur in archivo Sanctæ Justinæ chartam sic enunciantem de rebus, & possessionibus, ac terris, ait, *quantascumque Flavius Ildebrandus excellentissimus rex a jure ipsius monasterii detinuit sub pensionis nomine*. Millenos, & alios amplius annos ea Regis Ildebrandi cum cœnobio Sanctæ Justinæ transactio est. In qua primum reputabitur, hæc opum vis omnis & æstimatio regem decere; tanto scilicet ambitu soli terrarumque de monasterii ditionibus ac rationibus. Aut oportebat advertere, quæ conditio libelli foret Ildebrando, nomine pensionis. An, ut nostris temporibus, Ildebrandus opes ac jura monasterii, quæ veteris institutionis erant, ad se transferret in hoc tempore, pacto pensionis. An Ildebrandus, eorum temporum more, totas eas arvorum latitudines instrumento quodam donationis adsignaverat huic Patavino monasterio, quas alio tamen instrumento mona-

ſterii volebat ſibi permitti, dum penſionem poſthac annuam ſolveret. Utroque modo cœnobium Sanctæ Juſtinæ præclarum fiebat: eo priore vetuſtas amplitudinis aſſeritur; hoc altero majeſtas donatoris gloriam conciliabat.

CAPUT III.

Gregorii Papæ IV.

I. DEbetur autem fides Ildebrandi monumento, quod obtendit bonos autores: etſi dubitationes aliquas adverſus eos excitaverat imprudentia ſæculi. Proſtat id ſcriptum, quod apud nos bulla Gregorii quarti nomen obtinebat; in archivo quoque Sanctæ Juſtinæ manens: agitatum diu ſtudiis hominum per Italiam Germaniamque: nec habemus id autographum: ſed ex eo pergamenæ ſunt duæ; quæ multum præſenti negotio faciunt. Utraque Gregorium pontificem præferunt; ex indiciis quartum ſcilicet: utraque confirmationem poſſeſſionum Sanctæ Juſtinæ continent: utraque demum componebant intolerandos errores. Hoc tamen, quid genus omne ſit, expedio.

II. Chartæ, quas dixi, duæ Gregorium ſic inducunt, ut confirmantem jura Monaſterii poſſeſſioneſ

que

que. Sed hæc jura, ſed eas poſſeſſiones apparebat obvenire monaſterio poſt Gregorii tempora. Pontifex itaque traducitur ut confirmans & approbans ea quæ ſuo tempore non erant. Deinde ſcriptionum, quas dixi, duarum quædam ſæculo duodecimo pertinet, alia tertiodecimo: prima notas earum poſſeſſionum fert ad ſuos uſque annos, altera ad ſuos uſque; volens utraque confirmatas eas a Gregorio notas, ac poſſeſſiones. Ergo Pontifex anno poſt octingenteſimo ſedens erit in his tabulis etiam præſens anno milleſimo centeſimo poſt; & anno quoque milleſimo ducenteſimo poſt aderit, ætatum confirmans earum poſſeſſiones. Hi ſunt errores utriuſque ſcriptionis intolerabiles. Ab alia parte ſunt earumdem ſcriptionum bona; quæ dicebam cauſæ præſenti multum facere. Nam de notis iis ac poſſeſſionibus in ſummam conſtabat, eas ad monaſterium pertinuiſſe. Comparabam ſingula ſingulis: hinc geminas chartas; alio membranas alias in archivo poſitas: etſi nonnullas earum vulgaverant ad hanc diem Cavacius, Pezius, Muratorius. At ſcriptores eos noſtrates duos in ceteris eſſe diligentes ac fidos examinando comperiebar. Hæc opum facultatumque monaſterii capita legitimis ex principiis venire: qui libellos eos duos ita compoſuerant, nolle præſertim fallere tamquam de fictis aliqua proponentes aut deſumentes. Id inquam de ſcriptionis utriuſque partibus interim deſigno: quas, ut dixi, video plerumque firmari ſanctionibus inſtrumen-

tis.

tis. Quibus aliqua si pars vacabat, hæc habet testimonium tamen ex aliis ibi partibus, ut probis, ac probatis. Constat enim perire demum tabulas publicas. Quarum sæpe restant memoriæ minoris auctoritatis, at historia fideque satis credibiles. Hujus ordinis in iis duabus erat chartulis monumentum regis Ildebrandi; quod proposueramus ante.

III. Nunc earum magis explicatio chartarum nos urget. Diximus in suis eas partibus esse bonas: in totum reputavimus eas ineptissimas. Ideo bonas in singulis partibus eas diximus, quia partes ingenio sunt bono; quamquam ceteris additæ non bene: quod in operibus aliis accidit, ubi colores, æra, marmora, quæ sibi valent, in tabulam, statuam, domum parum consentiunt. Hoc etiam diximus, auctores chartarum duarum talibus induci moribus, ut de falso non inveherent: ea tantum quæ constabant, quæ præsto fuerunt, in unum componentes: etsi malas admodum substructiones fecerint. At non effinxerint mendacio donationes, emptiones, libellos aut alia quæ fine seculi noni, quæ principio decimi; quæ seculis aliis undecimo, duodecimoque; demum seculo tertiodecimo tenuit archivum Sanctæ Justinæ: vel etiam tenet. Quæ malus aliis temporibus artifex iterum fœdare potest importunis additionibus, ambiguis inductionibus: etsi de novo nec ea fingeret; aut alias monasterio possessiones & opes mentiretur; aut aliqua montalium vocabula, terrarum, loco-

rum falso construeret. Hæc enim consideratio tota mihi est indicium pro Gregorii IV. bulla quam vocamus.

IV. Eam si purgamus ab his, ut diximus, additamentis, habebimus epistolam Romani Pontificis, in quam, præter amanuensium culpas, ut hoc etiam solet, alia vix accusationum probra conjicias. Ex ea quidem scripturarum duarum farragine videbar hujusmodi sententias excerpere. *Gregorius servus servorum Dei episcopus Miloni reverentissimo abbati monasterii Sancte Justine Virginis & Martiris Christi, & Sancti Prosdocimi Christi confessoris; situm foris civitate Patavi; in quo ipsorum & aliorum plurimorum sanctorum corpora requiescunt; tuisque successoribus in perpetuum. Quia juste & rationabiliter vestra humilitas nostro apostolatui humiliter postulastis, quatinus pro dei amore animeque nostre remedio, per presentis nostri privilegii auctoritatem, quamque per auctoritatem dompni Lotharii Imperatoris Augusti, spiritualis in Christo dilectissimi filii nostri, concederemus & confirmaremus scilicet omnes res & proprietates predicti monasterii. Ideoque per presens privilegium apostolice auctoritatis confirmamus & corroboramus, & ipsum monasterium cum omnibus rebus sibi pertinentibus tam intus civitate Patavi consistentibus, quamque foris. Qui vero pio intuitu custos & observator in omnibus extiterit, benedictionis gratiam, vitamque aeternam cum omnibus*

san-

sanctis sine fine mereatur habere in secula seculorum. Amen. Scripta per manum Gregorii protoscriniarii patriarchio Lateranensi. Datum Romæ XII. Kal julias anno ejus sedis primo, & dompno Lothario secundo, indictione VIII. Benevalete.

V. Sic ego revocabam scripturas duas ad eas formulas, alia demum resecans quæ magis ab aliena manu suspectabantur: etsi vellent hic exscindi quædam quæ reservabam, vellent eorum, quæ resecui, quædam reservari. Tamen hoc in summam tractandum fuit, non per partes: cum nimis ex conjecturis omnia sint. Id enim præstabat agnoscere non ea nobis indole scriptores esse duos, ut ingererent de suo prorsus abbatem Sanctæ Justinæ Milonem, vel eum Gregorium Pontificem, simul imperatorem Lotharium, vel ex nihilo construerent argumentum pontificiæ scriptionis, aut chartæ: nisi quædam præsto fuissent ex antiquitate parandis partibus his etiam bonis, ut aliæ erant; ex quibus omnibus haberetur hoc totum, quod æstimavimus minus bonum.

CAPUT IV.

Rorigi Patavini præsulis.

I. ALiter a præcedentibus eſt indicium Rorigi. Nam ſuperioribus inſtrumentis in dubio manebat apud nonnullos Ildebrandi Gregoriique fides, etſi verba patebant utriuſque: nunc, in edicto Rorigi, certa fides; incertæ locutiones aliquibus videbantur: eas infra ponimus. Hoc etiam ſcriptum ciſalpinis obtinet editionibus, ac tranſalpinis: habebatque diu nomen ex hiſtoricis domeſticis eo modo, *Teſtamentum Rorigi;* ſic a noſtris appellabatur: anno prorſus octingenteſimo ſeptuageſimo quarto; nam dubitatum fuerat hocquoque: clauſulas autem eas ad extremum ferens; *actum in cenobio Sancte Juſtine, indictione ſupraſcripta; feliciter.* In his ergo verbis homines aliqui nondum reputaverant ſatis., adſtruendo quidem cœnobio Sanctæ Juſtinæ. Sed, ut nimium fidere cum chartæ deſint, ita diffidere cum tantum opis ex iis adſit, æque decet imperitos. Hic omittimus ex Rorigi teſtamento vel inſtrumento multas partes, immo eas fere omnes, etiam ſplendidiores; aliis argumentis aliiſque reſervatas. Id enim potius huc inceſſerat, antiquitatem cœnobii proponere, non hiſtoriam tamen aggredi.

II. Poſt Ildebrandum regem, poſt Gregorium Pontificem, Rorius eſt igitur admonens de cœnobio San-

ctæ

ctæ Justinæ seculis omnium vetustissimis. In instrumento Gregorii notatus Abbas erit Milo Sanctæ Justinæ. Scriptus & Abbas alius in Rorigi tabulis nomine Christianus. Instituerat hoc anno Rorius hospitalem domum; quod est argumentum præsentis instrumenti. Describitur id *Senodochium prope Ecclesiam Virginis Justinæ in qua Sanctissimum ejus corpus humatum quiescit; ubi Christianus Præsbyter, Abbas* præest. Ac *fratres in ipso Senodochio Religiose vivere degunt*; hi simul in eo *Venerabili deservire loco* debent. In hunc modum præscripserat institutor ædis Rorius. Idem vult atque ea mandat, *ut tu Christianus Abbas vel successores tui ab hac præsenti die; quod est sexto nonas madii pro ipsa offersione vel traditione, quam ego hodie facio, per omni die pro me pascere debeatis pauperes numero tres, dum ego qui supra Rorius advixero: sive post meum decessum: & in annuale meo pro remedio animæ meæ pascere debeatis inter Sacerdotes & levitas numero quadraginta. In alio vero die post annuale meum volo reficiantur in predicto loco pauperes numero centum &c.* Quæ Rorius antistes Patavinus Xenodochii fundator pacta composuit *in cenobio Sanctæ Justinæ*: Quibus explicandis opportunissimum est, ut est vulgatissimum factum Abbatis Anselmi Nonantulani; cap. v. *Hic hospitia atque Xenodochia constituere atque ea ditare curavit: quorum unum prope monasterium fere quatuor millibus stadiis; ubi oraculum Sancti Ambrosii,*

da suscipiendos debiles & fœminas, qui ad Monasterium venire non poterant, constituit: cui in omnibus tanta concessit bona necessitatibus, ut nihil deesset ibi servientibus hospitibus. Aut aliud *statuit Xenodochium in finibus Vincentiæ, ubi constituit oratoria Sanctæ Mariæ, & Sancti Petri, & Monachos ibi Deo servientes, ac pauperes & debiles perplures exinde quotidie viventes; ex illius quoque beneficio pauperes ducentos per omnes Kalendas pascebantur.* Aut aliud etiam *constituit Xenodochium in loco qui dicitur Susonia, ubi fieri jussit oraculum Sanctæ Justinæ Martyris, in quo Monachos semper adesse voluit Deo servientes & sine sollicitudine viventes. Ibi pauperes quotidie alebantur, & omnes advenientes hospitio atque victu inde reficiebantur, sed & per singulas Kalendas pauperes ducenti inde satiabantur: missæ vero pro salute vivorum & mortuorum per singulum annum trecentæ celebrabantur. Habuit hic dei famulus sub suo regimine Monachos regulares MCXLIV.* Eo modo Xenodochium vel Susonium, vel Veicetinum, vel Mutinense Nonantulanus abbas fundabat, ut Patavinum Rorigus præsul excitavit. Cetera nunc comparo. Cum de cœnobio Sanctæ Justinæ scriptum Rorigi manifestum sit, eodemque scripto de Xenodochio Sanctæ Justinæ propositum sit, more temporum sic explicabitur, & sedes eas esse duas, & alteri suppositam alteram. Qua specie Nonantulanus abbas etiam præerat Xenodochiis, ut Susoniensi, Muti-

nen-

nensi, Veicetino, sibi subjectis, aliisque locis ac religiosis hominibus ultra millenos centenos, ea Patavinus abbas inspectabat Xenodochium quoque cœnobio proximum. Sic duplex id in instrumento vocabulum distinguitur. Utraque sedes habet ejusdem religionis viros, monachos. Hospitio quidem Patavino cum tribus aliis, quæ dixeramus, admodum convenit, ut relegendo constabit. Cœnobium vero monumentis asseritur aliis Rorigi, quæ diu servabantur. In primis admonet Alexander Tertius, ævo suo, quod erat post trecentos annos, adhuc obtinere chartam Rorigi donationis adversus monasterium Sanctæ Justinæ, deque ea referebat in litteras suas. Hæc habet *Alexander abbati Monasterii Sanctæ Justinæ*, inquit, *ex concessione Rorii Episcopi; curtem Sancti Vigilii cum omnibus que ad eam pertinent, Ecclesiam Beati Martini, cum casis, campis, pratis, silvis, que in circuitu ejus sunt; curtem Sancti Zenonis cum omnibus que ad eam pertinent; curtem Sancti Georgii cum suis pertinentiis. Centenaria, & Iubones cum suis pertinentiis; Brumbido cum suis pertinentiis; & ea que acquisivit in Adeste; & in Pronumias; & curtes suas, quas comparavit. Sicut in autentico scripto ejus exinde facto continetur.* Id hactenus ineditum pro vetustate monasterii documentum profero.

„ In

DCCCLXXIV.

„ In nomine domini. Imperante domno nostro Hlo„ dovvico imperatore Hlotharii filius postquam impe„ riare cepit anno vicesimo quinto sexto nonas ma„ dii indictione septima feliciter. Offersionem vel tra„ dicionem quæ facere visus sum. Ego in dei nomi„ ne Rorius Sancte Patavine ecclesie episcopus una „ per consensum & voluntate avocato meo nomine „ Hercomario in ecclesia Sancte & Venerabilis Justi„ ne vel senædochium quo ego ipse a fundamentis „ pro remedium anime meæ aedificare precepi. Quæ „ sita est prope ecclesia ejusdem venerabilis virginis „ Justinę in qua ejus sanctissimum corpus humatum „ requiescere videtur ubi vir venerabilis Cristianus pres„ biter & a nobis ęlectum & ordinatum abba preesse „ cernitur. Ideoque ego qui supra Rorius nunc pon„ tifex considerante me dei omnipotentis misericordia „ & remedium anime meę; offero adque trado ego „ Rorius episcopus secundum legem Salicam ad pre„ senti die omnes res meas quas abere & possidere „ videor in Montemsilicis, sive in finibus Patavense „ vel comitatu Vicentino offero & trado ad supradi„ ctum almificum locum & tibi Cristiano abbati vel „ ad fratres qui in ipso senodochium religiose vivere „ degunt; ut habeatis exinde alimonia sive vestimen„ tum ad usui vestro ut pro me indigno peccatore

„ pre-

„ preces omnipotenti deo fundere incensanter dignetis; vel in ipsum venerabilem locum deservire valeatis. Id est in primis offero adque trado ego Rotius humilis episcopus curte mea que nuncupatur Maserada cum capella que in honore Beati Martini confessoris ego ipse a fundamentis ædificavi vel consecravi; cum casales & omnia quantum ad ipsam curtem pertinere dinoscitur. Similiter trado & offero curte mea infra civitatem Patavi cum oratorio suo, quod in onore beati Petri principis apostolorum dedicata est cum omnia que ad ipsam præfatam curtem vel oratorium pertinere videtur. Nec non & curtem meam in Cervarises cum oratorio suo quod in honore Sanctæ Crucis est consecratus que sita est in comitatu Vicentino trado offero cum omnia adiacencia vel pertinencia sua. Has prenominatas curtes ex integrum quantum ad manus mea hodie abere vel possidere visus sum trado & offero ad presenti die in jam prenominata ecclesia Beatæ Justine Virginis vel in Senedochium; cum omnibus edificiis earum & casalibus. aplectaneis. ortis. areis. vineis. campis. pratis. silvis. salectis. pascuis. ac stelareis. pomiferis. arboribus. paludibus. usus aquarum. rivis. rubinis. monte. plano. omnia in integrum. cultum & incultum. quantum ad me pertinet vel pertinere vel possidere visus sum: & offero atque trado in predicto venerabili loco. similiter a

„ die

„ die presenti & hora servis & ancillis meis pro ani-
„ ma mea corum nomina sunt Lupolus, & Justolus
„ cum filio suo item Justolo. Rodulfus. Luvari. P&trus.
„ Vidolus. Adam. Bessanius cum uxore sua nomine
„ Eta. Felicitas cum filia sua. Gallidolus cum uxo-
„ re sua & duos filios suos. Riculfus. Regisilda. &
„ filia ejus Rotruda. Vuilli. Iuba. Rotruda. Alte-
„ manno cum uxore sua Gaudencia. & filia sua An-
„ sperga. Liutecarda, & filia ejus Helmedruda. Rad-
„ perga. Vuilli. Liuba cum filias suas. Egena. &
„ Videlinda. & Liucinda. Et Gisemperga. Justola.
„ Regingunda. Agneola. cum filias suas. Orsolane. &
„ Senatre. Unica. Fuscole. Gisemperga. Gisemperga.
„ & quanti nati vel procreati fuerint postquam in po-
„ testate mea devenerunt. Istas suprascriptas res vel
„ mancipiis quorum nomina vel loca super leguntur
„ & ubicumque proprietario nomine a me possessum
„ vel devolutum est & hodie a manus meas teneo
„ per lib& racionem & emcionem sive per donatio-
„ nem, nec non & commutationem, vel blandimen-
„ tum secundum legem meam Salica possessum abeo.
„ Offero adque trado ego Rorius episcopus ad presen-
„ ti in jam prenominatum locum pro remedium ani-
„ me mee. & exinde nihil mihi reservavi. professus
„ sum. In tali vero tinore offero & trado supra me-
„ moratas res sive familias, ut si ego Rorius episco-
„ pus, quod fieri minime credo vel aliquis ex succes-

„ sori-

„ soribus meis de prediĉtas res vel mancipiis eorum
„ loca & nomina supra adnotatas esse videntur; vel
„ qui de ipsis hominibus nati vel procreati fuerint
„ retollere de ipso venerabili loco aut contra re vo-
„ luerimus sive tibi Cristiano abbati vel ac successori-
„ bus tuis & omnia sicut supra legitur, non adserva-
„ verimus ego Rorius episcopus vel successoribus meis,
„ tunc deveniat ipsas res vel familia quod supra legi-
„ tur in potestatem regis qui pro tempore Italia re-
„ gere videtur. Hec ideo adfiximus ut mea qui su-
„ pra Rorius episcopus offersio sive tradiccio perhennis
„ temporibus in ipsum almificum locum quod super
„ legitur inviolabilis & inconcussa permaneat. Iterum
„ volo adque instituo, ut tu Cristianus abba vel suc-
„ cessores tui ab hac presenti die quod est sexto no-
„ nas madii pro ipsa offersionem vel tradiccionem quam
„ ego hodie facio per omni die pro me pascere de-
„ beatis pauperes numero tres dum ego qui supra Ro-
„ rius episcopus advixero. sive post meum decessum.
„ & in annuale vero meo pro remedium anime meæ
„ pascere debeatis inter sacerdotes & levitas numero
„ quadraginta. In alio vero die quod post annuale
„ meum evenerit volo adque instituo ut reficiantur
„ ibi in prediĉto loco pauperes numero centum. &
„ cum ipsis pauperes refeĉti fuerint usque ad saturita-
„ tem laudem deo referant & proficiant ad salutem
„ pro anima mea. Quod si tu Cristianus abba vel

„ ſucceſſores tui de predicta elimoſina quod pro ani-
„ ma mea dare inſtituo aliquid retraere volueritis aut
„ neglefferitis facere in omnipotenti dei iudicio reſer-
„ vo. cui omnia manifeſta ſunt. & nihil ei lat&.
„ Sed nolle quod volui niſi quod a me ſemel factum
„ bono animo eſt, perhennis temporibus inviolabilis
„ permaneat. Et manifeſtus ſum ego Rorius epiſco-
„ pus quia pagina & calamo cum pinna de terra le-
„ vavi & Ulfari ~~nothario ſcribere ſic~~ rogavi. & teſti-
„ bus obtuli roborandam. ut hanc donacio ſive offer-
„ ſio ſupra legitur firma & ſtabilis ſine alicui homi-
„ num contradiccionem permaneat. Actum in ceno-
„ bio Sancte Juſtine indicione ſupraſcripta feliciter.

EGO RORIUS QUAMVIS INDIGNVS EPISCOPVS in hanc offerſionem ſeu tradicionem a me facta manu mea ſubſcripſi.

EGO ERCOMARIVS advocatus conſenſi manu mea ſubſcripſi.

Ego Juſtinus archidiaconus rogatus manu mea ſubſcripſi.

Ego Leopertus presbiter & præpoſitus Sancte Mariȩ manu mea ſubſcripſi.

Ego Dominicus presbiter canonicus manu mea ſubſcripſi.

Ego Johannes presbiter manu mea ſubſcripſi.

Ego Fradellus presbiter manu mea ſubſcripſi.

Ego Juſtinus presbiter archarius Sancte Marie manu mea ſubſcripſi.

Ego

Ego Dominicus presbiter manu mea subscripsi.
Ego Dominicus presbiter manu mea subscripsi.
Ego Petrus presbiter manu mea subscripsi.
Ego Johannes presbiter manu mea subscripsi.
Ego Dominicus presbiter manu mea subscripsi.
Ego Valencianus presbiter manu mea subscripsi.
Ego Dominicus presbiter canonicus primicerius Sancte Marie manu mea subscripsi.
Ego Severius presbiter custus ecclesie Laurenti manu mea subscripsi.
Ego Petrus presbiter de Capella manu mea subscripsi.
Ego Erlingus manu mea. subscripsi.
Ego Vualdebertus manu mea subscripsi.
Ego Ingelbaldus subdiaconus manu mea subscripsi.
Ego Vandebertus subdiaconus & custus Sancti Salvatoris ecclesie de Sarmacia manu mea subscripsi.
Signum † manus Vnarno Allemanno testis.
Signum † manus Ranoardo Franco.
Signum † manus Aboni Franco.
Signum † manus Madelberto filio olim Gumberto.
Signum † manus Grausemanno Almanno testis.
Signum † manus Ulferado testis.
Signum † manus Johannes degano testis.
Signum † manus Vidolo Sternone degano testis.
Signum † manus Vuiperto filio quidem suprascripti Vnargo testis.

Signum † manus Teoderigo filio olim Frederico teſtis.
Signum † manus Amavile Dado teſtis.
Signum † manus Dominicus Mazadino teſtis.
Signum † manus Feleverto magiſtro teſtis.
Signum † manus Paulo Raſparolo teſtis.
Signum † manus Nodericus Alemanno teſtis.

† Ulfari notharius rogatus ad ſupraſcripto domno Rorio venerabili epiſcopo hanc cartulam offerſionem vel tradiccionem ſcripſi & ſubſcripſi & poſtradita complevi.



CAPUT V.

DCCCCXXVIII. Mense Junio.

I. EVasimus ad chartas Opilionis. Hoc enim studiosis hominibus erat argumentum grave, postquam tot his annis aliæ super alias opiniones accumulabantur; & hæ magis obruebant. Id adeo magnam parvis ex momentis quæstionem fecerat, quod in principio docti viri, cum succedebant ad has partes, eam viam tenuerunt hactenus inductam falsis indagatoribus: homines eruditi se patiebantur ab imperitis agi trahique. Nam qui videtur ex historicis primus attingere chartas Opilionis, etsi vicinior ejus ætati, non eum tamen intelligebat, & omnia subvertebat: ut apparet ex libello vitę Sancti Prosdocimi, sanctęque Justinæ; qui prostat. Eo qui deinde sunt ingressi vel iis aut aliis temporibus, omnes errabant: & quia scriptum vetus intendere nunquam sciebant; & quia quicquid ignorabant, in majus extollebant: his causis duabus ignorantia vetustatis, ambitione vetustatis excitabantur interpretationum tumultus apud nostrates: quandoquidem scimus hos diu solos in hoc altercationum pulvere tamquam seditionibus exagitatos. Quæ contentio tot actitantium tot inclamantium tot annorum seculorumque parvo tamen existimaretur: ut ex talibus hominum

tem-

temporumque commentis obvenire nec utilitas aut damnum poterat antiquariæ facultati, vel historiæ Patavinæ.

II. Sed hoc ævo successerunt in has controversias alii mortales, & alia tractatorum species; ex Galliis, Germaniaque, vel Italiæ partibus aliis: auditumque nostris in rebus ac vicissitudinibus & Mabillonii præterea Tillemontii nomen; & Bernardi Pezii; Fontanini, Muratorii, Beretti quoque, Bacchinii: demum quicquid in omni chartarum veterum studio famaque præstabilius est. Hi meliore sæculo nati, vitamque suam per omnes eas artes exerciti multum debuerant in Opilionis instrumentis advertere: quam falsę nostratium commentationes ad eam diem fuissent: ac vanos eos motus in tempore sedarent: id effici per tales viros haud absurde sperabatur in his ineruditorum concertationibus. At contra fuit. Huc advecti neque castigaverunt aliorum falsitates, & se potius iis, adeo malis autoribus in societatem dederunt. Hæc origo præcipuæ cladis in iis rationibus fuit; artifices ingenio validos, & laude principes in eam calumniam temere consensisse. Nam quia pollebant viribus, exaggeravissent ea latius altiusque quam quisquam nostrum toties ante fecisset. Quo clarebant & industriores habebantur, eo dictis authoritatem conciliabant. Quibus modis creatum est demum periculum chartis Opilionis, & infamia maxime laboramus. Ego pręsentes & eas ha-

beo scripturas, & interpretationes eas: erant autem mihi pro documento cujusdam calamitatis; cum semel animus imbutus malis persuasionibus, ea penitus ęgritudine contabescit.

III. Ex utroque mortalium genere, qui magis huc allaboraverant, & omitto domesticos interpretes, ut dixi; quos rudes nostris artibus seculum habebat. Ex alia quoque parte minus accuso doctos eos viros qui de nostris rationibus acceperant aliquid alieno potius indicio. Sed ii sunt alii mirabiles in hac classe; qui propriis inspexerant oculis; aut fuerant in eo tabulario; qui manibus omnia tractaverant: assueti praeterea judiciis talibus, ac saepe probati similibus experimentis: ii tamen haerebant in hoc examine, tamquam spectaculo prorsus insolito, vel alia mente fuissent: adeo vecordia nec tam sua, quam scriptorum, puto, nostrorum coeperat eos. Nam licet magnis nominibus, aut aliis hominibus parcimus; at dissertationes eorum, consultationes, adnotationes in Opilionem, quotquot a principio fuerunt ad hoc ultimum tempus, omnes adeo se praecipitant sententiis, abstrahunt sermonibus, adeo se fallaciis incredibilibus undequaque dissipant, ut magis de deliramentis quam de ratiociniis eas aestimes. Ita non in hunc intrudam locum tot eas ambages erroresque; nec impugnabo vel expugnabo falsarios: ea res etiam parum prodesset; ut hoc animadverti quoque: nam convictis falsatoribus, expugnatis, Opilio-

nem

nem tamen occultum fore. Nos autem quęrimus hunc illuſtrari, non eos vinci.

IV. Quin ea mecum potius exiſtimabam; ſi tot eas interpretationes eoſque tot interpretes omnino diſſimularemus, omnia ſcripta vel omnium quęcumque fuerunt in hoc argumento, numquam contingeremus; eo modo putabam facilius explicationem poſſe meam confici. Tractemus Opilionem pro novo; chartas eas ut novas, ante nec inſpectas antiquariis aut auditas aliqua ratione modoque: ſic eas exhibeo, ſic accipi volo. Quemadmodum latuerunt alię atque alię quę demum prodeunt in dies, ita noſtrę delituerint, nec ullus eas hominum tractaverit hactenus; aut aliquid ad eas dixerit, aut ſcripſerit aliquid: ego ſim primus eas proferens. De quibus hoc in initio proponendum cenſebam; chartas eas tales eſſe, quales erant alię paſſim datę, ſuſceptę, probatęque; nec has inter, aut eas noſtras apparere diſcrimen adtentius inſpectantibus.

V. Hunc autem locum potior obſervatio præoccupaverat. Dixi, me velle pro novis ea, quæ damus hic, accipi, numquam datis ante nec agnitis. ut ex hoc ordine magnus erat numerus inſtrumentorum latens in cuſtodiis publicis privatiſque; deinde prodiens. Hæc dixi. Nunc & addam; prorſus ex hoc genere chartam eſſe quamdam Opilionis: hęc ſine dubio nova cenſebitur. Nam præter eas tabulas quas volo novas eſſe; quamquam ſermonibus omnium tractatas, &

Ita-

Italię, Germanięque typis expositas; obtinebat in archivo Sanctæ Justinæ scriptum vocabulo Opilionis alterum, alteriusque generis. Illud enim quod tot hactenus excitaverat turbas erat instrumentum donationis; ut vocant. Id autem quod alterum dicebam, fuit instrumentum locationis: & hoc ignotum tractatoribus universis eorum clamores effugerat: hoc & proprie novum de priscis anecdotis erat; quod ego denique pando. Hæc adnotatio faciebat, inquam, propius auspicium propositioni meæ. Sic enim constituo. Charta locationis hæc igitur est ad manus. Aliam vero donationis interim deposuimus. At libellus is Opilionis, aut, ut ajunt, charta locationis in hanc usque diem latens; ea nunc exoritur, & venit ad manus; ut adveniunt aliæ quotidie multæ vetustiores aut recentiores.

VI. Is autem præcipue mos assuetis nostræ artis, ut quoties objicitur oculis, & habetur in promptu charta minoris aut majoris antiquitatis, id judicium facile sit legentibus, inspicientibus, iisque nec acutissimis, at, ut dixi, tamen exercitatis. Hoc usu noscimus aut seculum scriptis in iis; ut decimum, vel alia quæ fuerint ante postque; tum seculi partes, ut initium, vel finem: quas cognitiones dat ars nostra, dat & distinctiones: & solemus hæc etiam probare suis experimentis. Is ergo sensus, ut aliis, erat & mihi talium rationum probationumque, cum libellus Opilionis advenit. Inspexi, nec aliqua mora fuit observanti seculum,

quod hic ajebam, decimum, vel exordia seculi decimi. Quod seculum, quam partem quoque seculi credimus instrumentis aliis quoties in conspectum veniunt. Itaque volo dici mihi, quare libello non debeamus Opilionis hæc eadem credere. Succedit observatio alia. Chartæ similes huic nostræ cum se produnt, eas existimamus originales: hoc enim judicium sibi volunt earum signa, modi, partes. Ita quæram iterum, cur eadem signa, modi, partes aliter ab originalibus in libello censeantur Opilionis. Est aliud hic adnotandum simul. In chartis huic nostræ similibus ita fieri solet. Ex quo noscitur ætas earum, vel earum conditio proditur, abstinet solers consultor a subitis accusationibus ob ea, quæ toties occultabat antiquitas. Id autem jus in causis paribus adserit & sibi libellus Opilionis. Atque ea debueram præoccupare de scripto diu mortalibus abdito, quod apparebat in hoc tempore: quemadmodum se proferunt alia quæ passim recipiuntur a professoribus.

VII. Nunc si libellus adjungitur ad chartam donationis, & hæc instrumentorum duo genera componimus, alterum alteri, fiet utrique major autoritas ab hac etiam comparatione. Qui mos enim vetustatis, iisque maxime seculis & annis erat, omnesque consentiunt, is facilem se dat apertumque, nec alio magis exploratum documento, quam quibus hæc tractamus. Eo modo faciebant homines: chartam donationis emit-

tebant

tebant de bonis suis adversus ædes Deo sacras, eodemque tempore chartam locationis exigebant aut libelli, retinendis quæ donaverant. Ante donationem possidebant tamquam domini; post eam retinebant tamen ut vectigales. Hæc & ab aliis & hæc a nobis alibi significabantur, iis antiquitatibus interpretandis. At hoc exemplo se prodit Opilio manifestiorem, sine deductionibus aut inductionibus. Hic donabat, hic accipit; utrumque scriptum proposuit: alterum autem ex iis alteri accommodatur; ut advenit testimoniis fides ex verbis alterius alteri congruis.

VIII. Hoc etiam reputabitur aliud Opilionis esse libelli pretium: quia fiebant ex eo magis autenticæ donationes Opilionis. Eas enim demum licebit ut explicandas hic aggredi; postquam de calumniatoribus earum satis excepimus: ab alia parte bonas potius autoritates in easdem conferebamus. Ordo quippe negotii totius est, ut indicavimus, eo modo, cum donationis, & libelli chartæ veniunt simul, ut primum locum donatio, libellus alterum teneat. Eam factorum successionem tractatio nostra persequitur.

IX. Instrumentum donationis Opilionis erat duplex: utrumque Constantini fert imperatoris annos: annos etiam Constantini fert imperatoris instrumentum locationis Opilionis. In chartis autem, quæ sunt manifestæ seculo decimo, quæ produnt initium seculi decimi, quærendus is ex multis Constantinus imperator,

ut adesset. Immo Constantinus adest porphyrogenitus, Leonis filius, imperator in annos eos; aliis autem gentibus adeo memorabilis, ut Græciæ suæ. Nam scriptores Italici maxime personuerant, ab eaque præsertim regione qua propius imperium Constantinopolitanum spectabat. Eo sunt igitur ex ordine Salernitanus Anonymus, & Barensis Anonymus; & Salernitanus alius Romualdus, & Lupus protospata; Cavensis, item Cavensis Anonymus alius, & Beneventanus; ac Neapolitanus, & Vulturnensis, aut alii; quos præcipue dant in suis collectionibus Peregrinius, aut Muratorius, aut Pratillus: ea nostræ gentis historiarum claritudine Constantinus adest Leonis filius, imperator: habetque vel eo de genere majores illustrationes; ut ex Liutprandi scriptis in omnium mortalium famam vulgatis. Hunc itaque Constantinum proferunt etiam scriptores Italici, palamque fecerant eum popularibus Italicis. Hunc ego propterea chartis Opilionis assigno non ut ex arcanis hominem vel inauditum cælo terraque; sed obvium cognitumque per eas ætates historicis Italiæ nostræ, vel ab ultimis ejus oris, ut admonuimus, aliisque propinquioribus partibus, aut in hac etiam vicinitate; quemadmodum constabat ex Dandulo. Quem virum noscimus acta Constantini filii Leonis eo studio persequi, tamquam Venetorum, quæ sui propositi erant.

X. Sed apud Venetos præter historias, etiam tabu-

læ forenſes eum ſibi Conſtantinum vendicant: eſt enim hæc Opilionis inſtrumentorum cauſa quam tractamus. Hoc itaque modo ſcriptum quoddam Veneti fori ſe præbuit: *imperantibus dominis noſtris Conſtantino & Romano ejus filio magnis imperatoribus, anno autem imperii eorum, Conſtantino quadrageſimo ſexto, & Romano ejus filio duodecimo, menſe martii, indictione prima; Rivoalto*. Nam Conſtantinus is noſter ut eſt Leonis filius, eſt Romani pater; omnes eos annos, atque alios imperans. Hanc autem chartam de tabulariis Venetis edidit Flaminius Cornelius Senator. Ex quo quidem Romano Conſtantini filio filius eſt alius Conſtantinus avi nomine Cæſar annis aliis; & apponitur ut avus inſtrumentis Venetis in eas formulas: *imperante sereniſſimo imperatore domino Conſtantino filio Romani imperatoris, anno autem imperii ejus octavo, menſe junii, indictione octava; Rivoalti*. Quæ venerant ab archivis Caſtellano atque Clodienſe; nondum publicatis exemplaribus. Adeo Coſtantinorum ſatis hoc etiam ſeculo fuit pro chartis Opilionis. Atque eo ritu ſignari chartas apparebat apud Venetos aliis tempeſtatibus ante, poſtque: nec obſervatio procul hæc omnis a propoſito noſtro.

XI. Sed ego magis hic inſtitueram de Conſtantini filii Leonis ætate: vel advocat Italiæ pars alia, quam præſertim commentabar: ex eaque, poſt hiſtoricos, ut advertimus homines, etiam ſe dabant alii forenſes eum-

dem

dem passim Constantinum jactantes. Exhibent enim scripturas his aut similibus appellationibus: *anno Constantini septimo, mense novembri, tertia indictione*; vel *anno vigesimo sexto Constantini, mense aprili, octava indictione*; vel *anno vigesimo septimo Constantini, mense septembri, decima indictione*; vel *anno vigesimo nono Constantini, mense martio, duodecima indictione*; vel *anno trigesimo Constantini, mense februarii, indictione tertiadecima*; vel *anno Constantini trigesimo sexto, die prima februarii, indictione secunda*; vel *anno eo trigesimo sexto, mense julii, indictione septima*; vel *anno trigesimo septimo Constantini, mense januarii, octava indictione*; vel *anno trigesimo nono Constantini, die prima februarii, sexta indictione*; vel *anno Constantini quadragesimo secundo, mense januarii, indictione tertiadecima*; vel *anno Constantini quadragesimo tertio, mense maii, indictione quartadecima*; vel *anno Constantini quadragesimo octavo, mense februarii, indictione tertia*. Chartas haud minus duodecim Constantino semper eodem vocatas in iis regionibus explicui; quales eas adhibuerant, aliquas Peregrinius ad Lupum Protospatam, plerasque Muratorius ad chronicon Vulturnense.

XII. Nam nec annorum series ab explorato principio deducunt omnes: & omnes eæ decimum chartæ seculum tenent a primis ad ultimos annos: omnes autem adscribebantur iis urbibus; Alarino, Benevento,

Nea-

Neapoli, Capuæ; quo tractu maxime prætenderamus Italiæ. Simul hæc obſervationum tria demum capita conferimus ad chartas noſtras Opilionis. Hæ videbantur eoſdem potius affectare ſitus Italicos: hæ propius ejus exordium ſeculi contingunt: hæ quoque propoſuerant annos ab arcanis initiis. Hunc enim fori præſertim ſuæ gentis uſum prorſus iis ætatibus, hanc etiam licentiam Peregrinius alibi coarguerat in extremis ad Ignotum, quem vocat, Barenſem commentariis: ait; *mitto tabulariorum multimodas ſubducendorum annorum rationes, ſed & hallucinationes*. Ita Conſtantini filii Leonis ævum tranſducunt ii tabelliones.

XIII. Quibus hiſtorici paria fecerunt. Ex iis enim quos ante propoſueramus, alii notant annos alios, alii deſignant alios. Ut erat Cavenſis apud Muratorium ſic enumerans; *anno nongenteſimo octavo, indictione undecima, Leo ſuprafcriptus cum filio Conſtantino porphyrogenito*. Dum Cavenſis alter apud Pratillum ſic adhibuit; *anno nongenteſimo undecimo obiit Leo imperator, & Conſtantinus regnavit*. Eſt Barenſis apud Peregrinium tamen adnotans; *anno nongenteſimo decimo tertio coronatus eſt Conſtantinus filius jam dicti Leonis*. Alii præterea narratores alio ſupputant ingenio, modoque.

XIV. Nunc & Opilionis inſtrumenta ſuum modum moremque ſibi depopoſcerant. Id inexploratum eſt: enumerare cœperint anno nongenteſimo tertiodecimo,

poſt menſem junium : vel anno alio nongenteſimo quartodecimo voluerint ante menſem junium : vel utrolibet anno fecerint intra menſem junium . De ſcribis aliis hiſtoricisque nulla videbatur eſſe regula computandi vel eo modo, vel alio, vel aliis annos eos aut eos Opilionis. Eſt in hujuſmodi conſultationibus id conſilii potius; hoc enim frequens; ut inſpectentur indictiones: ea pro ceteris, ubi non erant in promptu, ſolet adhiberi nota comprobandis annis. Ut eo ſe chartæ noſtræ titulo proferunt: *imperante piiſſimo auguſto Conſtantino, a deo coronato, pacifico, magno imperatore; anno quintodecimo, ſub die menſe junii, indictione prima*. Quæ nunc indictio prima ferebatur, ea profitebitur annum donationis aut locationis Opilionis. Hoc enim Conſtantino, quem diximus, imperatore, Leonis filio, quintus ejus decimus annus, ea notatus indictione, junio menſe, non alius eſſe poteſt ab anno nongenteſimo vigeſimo octavo. Satis itaque de ſeculo, vel ætate, vel anno quoque noſtrorum documentorum comparavimus.

XV. Hoc igitur anno, indictione, menſe donabat Opilio fundos, & opes, ac domos, eos eaſque monaſterio Sanctæ Juſtinæ Patavii. Quæ tot erant eę poſſeſſiones omnes in agro Bononienſe. Deſcriptiones autem, ſitus earum, vocabula ſunt, ut admonet inſtrumenti ſeries. Ac primo *fundum, qui vocatur Kaſinius cum rebus ad ſe pertinentibus: ut caſalia quorum vo-*

cabu-

cabula sunt, *Sitiliano*, *Montecle*, *Vindemiolum*, *Marcio*, *& Arucias*; *cum casale Paulinis*, *Rotariorum*, *Saturiorum*, *vico Fraxeneto*, *Quingentula*, *Columbiano*, *Granariolo*, *& villa magna*, *cum suis pertinenciis in integrum*. *Et Capella una cum area sua*, *cum* suis etiam *pertinentiis infra civitatem Boloniensem que est constructa in bonore Sancte Justine virginis & martiris*. *Alia autem fundora Sociorum*, *Piscianus*, *Marianus*, *Gabianus*, *Julianus*, *& fundus Micauri*; *quod est supra naves*. *Casale quod dicitur Mimianus*; *boc est Liliolis*, *quod est inter Misiano & Columbiano*. Fundus *in alio loco sociorum*: *fundus alius Micauri sub ripa de Barbiano & Gabiano inter Clodia & Strata*. Alius *fundus in vico Romanulo*; *& fundus ortus*.

XVI. Hæc omnia donatio continet, aut donationis instrumentum potius. Hi quippe donatores eo modo non aliqua bona, sed chartulas offerebant: ut admonet ævi mos; & hęc ante notaveramus. Ob ea prostat edictum Lotharii regis adversus *homines*, *qui fraudulenter ac ingeniose res suas ecclesiis delegant*, *easque denuo sub censum utendas recipiunt*: ut Muratorius ex emendatiore scripto dabat. Hic apud nos ea facti species in hoc tempore: juxta donationem libellus adest locationis; & quos in Sanctam Justinam fundos aut opes ac domos emittebat una chartarum, suspendit altera.

XVII. Quę dicitur hic libelli charta nonnunquam

retractat eam donationis: ut donatio definiens in territorio Bononiense possessiones Opilionis, illustratur a libello qui monet aliquas ex iis possessionibus esse *junta civitatem Bononiensem*. Reliqua vix inter utramque scriptionem variant. Aut nobis videntur aliqua differre locorum, vocabulorum, temporum post longas ætates ignaris. Pro quibus observationibus, & quantum præsenti consulto conferant, id erat admodum ex Justinæ decore, fanum vocabulo ejus in urbe Bononia tam remotis vetustatibus: *intra civitatem*, ait, *Bolonienſem capella Sancte Justine Virginis, & Martiris*.

XVIII. Immo pertinebat ut ad Bononiensem quamdam rationem stilus is instrumentorum donationis Opilionis & locationis: hoc enim vult etiam cognosci. Quæ dictio, qui stilus, & forma scribendi chartas eas occupat, nova est nobis ac tabulariis nostris: ea species annis aliis, ac tempestatibus, antea, postea, numquam se prodit; abest a provinciæ quoque finibus, urbibus, ac locis. Hæc, scio, tamquam periculi facies avertit inexercitatos hujus examinis. Aut vix eam de Muratorio censuram credas, ubi damnaverat Opilionem propter eas formulas; ut ait; *& non supplicandum principibus; neque per ecclesia interpellacione, aut per regalem vel imperiali magestate vel potestate*. Quas etiam sententias in instrumentis undecimi decimique seculi probant, in aliis improbant: & alia

ta-

talia: ſic ii mortales inculcant & habent, exhibentque pro veris eas opiniones. Hæ quidem parvo diſtabant ab ineptiis. At in initio propoſuimus omnia diſſimulare. Partem diſſertationis hanc etiam præſumimus intactam quibuslibet indagatoribus.

XIX. Hic ergo ſcribendi mos, ut in chartis Opilionis, urbi quidem provinciæque noſtræ non convenit: at locum tamen habebat in urbibus ac provinciis aliis. Eas autem formulas, ut hic occurrerant, aut alias aſſignare licebat antiquioribus ætatibus aliis, & poſterioribus aliis. Utraque res unam ſimul habet indagandi viam. Stilus enim, qui chartas habet Opilionis, eſt is habens antiquiſſimas Italiæ chartas. Hæ ſunt ab ea Italiæ parte quæ provincia Ravennatenſis æſtimabatur, in qua ſimul urbs Bononia, tum ceteræ multæ fuerunt. Ex ea maxime regione manent his temporibus inſtrumenta vetuſtatis aliis potiora, notabilioris ævi, materię ſingularis, ut ægyptiaca papyro. Chartæ forenſes eo nomine prædicantur Italicis aliæ atque aliæ; quarum codex a Maphejo proditur. Atque ibi donationes erant aliquot aut locationes aut aliæ ſcriptiones. Ut autem aliud atque aliud indicium fert, ibi paucis ex fragmentis innumerabilis hujus ordinis antiquitatis habentur ex vero formulæ nonnullę velut Opilionis, earumque plures ut imagines & umbræ quædam tenues. Eo modo quum ſe notariæ artis initium Italis aperit, hæc ſtili tamquam ſpecies

aut ſpes apparet. Advocabo tamen ætates alias & Opilioni proximiores.

XX. Ajo nos habere ſatis antiquorum ſcriptorum ſeculo nono, decimo, undecimo, duodecimo quæ dabant aut ſimul, aut alias alibi formulas eas extruendis Opilionis inſtrumentis & donationis, & locationis. Hinc ea, de quibus admonebamus, invaluerant etiam ſeculo nono, qualia ſunt; *& non adeundum judicium, non ſupplicandum principibus, neque per eccleſiaſticam interpellationem;* præter alia quæ ſimilia noſtris habet inſtrumentum Ravennas anno vel octingenteſimo quinquageſimo quinto: proſtat autem tomo primo annalium Camaldulenſium. Iis, inquam, ætatibus, quum ſe latius extenderit inſtrumentorum veterum ſeries, habebimus in conſpectu, præter eam Ravennatenſem provinciam, Romanam quoque: quarum utraque demum videbatur ad hanc inquiſitionem pertinere. Chartas ergo provinciæ Ravennatis enumerabo, nec omnes, at quæ facilius ad manus venerunt: ut ea donationis anno octingenteſimo quinquageſimo quinto, Ravennas, apud Camaldulenſes; alia octingenteſimo quinquageſimo octavo, Ravennas, apud Margarinium; alia octingenteſimo nonageſimo octavo, Ravennas, apud Margarinium; alia nongenteſimo octavodecimo Ravennatibus finibus apud Muratorium; alia nongenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Ravennas, apud Margarinium; alia nongenteſimo octuageſimo octavo,

Ra-

Ravennas, apud Camaldulenses; alia nongentesimo nonagesimo secundo, civitatis Adriæ, apud Muratorium; alia millesimo nono, Ravennas, apud Margarinium; alia millesimo trigesimo nono, Ravennas, apud Margarinium; alia millesimo quadragesimo sexto, Ravennas, apud Muratorium; alia millesimo quinquagesimo tertio, Ferrariensis, apud Margarinium; alia millesimo sexagesimo, Bononiensis, apud Manzonium; alia millesimo centesimo vigesimo octavo, Ravennas, apud Camaldulenses. Hæ sunt itaque chartæ donationis, omnes ab iis partibus.

XXI. Hæ deinde locationis: anno octingentesimo undecimo, Mutinensis, apud Muratorium; octingentesimo quadragesimo secundo, Mutinensis, apud Muratorium; alia nongentesimo tertio, Mutinensis, apud Muratorium; alia nongentesimo quadragesimo tertio Ravennas, apud Muratorium; aliæ nongentesimo quadragesimo quinto duæ, Ravennates, apud Muratorium; alia nongentesimo quadragesimo quinto, Ravennas, apud Camaldulenses; alia nongentesimo quinquagesimo sexto, Comaclensis, apud Camaldulenses; alia nongentesimo sexagesimo quinto, Ravennas, apud Camaldulenses; alia nongentesimo sexagesimo nono, Ferrariensis, apud Muratorium; alia nongentesimo septuagesimo secundo, Comaclensis, apud Muratorium; alia nongentesimo septuagesimo sexto, Ravennas, apud Camaldulenses; alia nongentesimo nonagesimo secundo,

Ra-

Ravennas; apud Camaldulenses; alia millesimo primo, Ravennas, apud Mabillonium; alia millesimo tertio, Ravennas, apud Camaldulenses; alia millesimo septimodecimo, Ravennas, apud Muratorium; alia millesimo octavodecimo, Ravennas, apud Camaldulenses; alia millesimo vigesimo, Mutinensis, apud Muratorium; alia millesimo quadragesimo nono, Ravennas, apud Camaldulenses; alia millesimo quinquagesimo tertio, Ravennas, apud Camaldulenses; alia millesimo quinquagesimo quarto, Ravennas, apud Muratorium; alia millesimo octuagesimo secundo, Ferrariensis, apud Muratorium; alia millesimo octuagesimo tertio, Ferrariensis, apud Muratorium; alia millesimo centesimo octavo, Ravennas, apud Muratorium; alia millesimo centesimo vigesimo quarto, curtis Argentæ, apud Muratorium; alia millesimo centesimo quadragesimo nono, Ferrariensis, apud Muratorium. Ex hac igitur Italiæ regione multæ sunt chartæ generis utriusque, donationis, & libelli similes iis Opilionis, & donationis, & libelli.

XXII. Sequitur ex Romanæ provinciæ partibus alia nota præcedenti conveniens. Habemus enim scriptum donationis anno septingentesimo octuagesimo secundo Romæ factum, quod exhibent Camaldulenses; & aliud anno nongentesimo quadragesimo quinto Romæ quoque factum, quod exhibent etiam Camaldulenses; & alia nongentesimo septuagesimo tertio, deinde nongentesi-

tesimo septuagesimo quarto, preterea nongentesimo octuagesimo, condita Romæ, prodita Camaldulensibus annalibus: aliud anno nongentesimo nonagesimo primo Romę scriptum dederat Erasmus Gattula: Muratorius edidit aliud anno millesimo tertiodecimo, Romæ: Grandius instrumentum concessionis anno millesimo quartodecimo, Romæ: Baronius aliud anno millesimo nonodecimo, Romæ: Camaldulenses annis aliis alia, seculis aliis alia; millesimo vigesimo tertio; millesimo centesimo vigesimo tertio; Romę. Nam reliqua nec significabo.

XXIII. Libellos in eam formam tamen adverti plures ibi: qualis erat nongentesimo trigesimo quarto, Romæ; qualis & anno nongentesimo septuagesimo, Romæ; quorum dat utrumque Muratorius: aut nongentesimo septuagesimo tertio, vel anno alio nongentesimo septuagesimo quarto, vel anno nongentesimo octuagesimo, Romæ; quos edunt Camaldulenses: eum Gattula profert *actum in Pinne* scilicet anno nongentesimo octuagesimo secundo: Camaldulenses efferunt eos anno nongentesimo nonagesimo secundo, Romę; nongentesimo nonagesimo quarto, Romæ: Gattula rursus eum dat *actum in Pinne* nongentesimo nonagesimo sexto: sunt alii millesimo quinto, Romæ; millesimo undecimo, Romę; millesimo vigesimo quarto; vigesimo quinto; trigesimo sexto; quadragesimo primo; quadragesimo quarto; denique millesimo centesimo trigesimo nono;

cete-

ceterique, Romæ, paſſim; quos edidere Camaldulenſes.

XXIV. Ita Romanæ ſcriptiones apparent ut Opilionis & donationis, & libelli. Duo pontificatus in Italia maximi Romanus ac Ravennas eum, præter alios, uſum fori tenent ſeculis iis: etſi nonnihil ex iis formulis aliquando contigerit alias chartas, ut Mediolanenſes, ut Piſtorienſes, ut Senenſes apud Muratorium: Venetas etiam carpſerit, aut alias. At hæ ſimul omnes erant nihil adverſus aliquas ex iis tabulis aut Ravennatis, aut Romanæ conſuetudinis.

XXV. Accidit igitur ex hoc altero capite nobis, ut in priore quęſtione fuit. Nam tum primum; cum fuiſſent homines anxii de Conſtantino chartarum noſtrarum, quis eſſet, an opportunus eſſet; habuimus in ſummam tot ex omni genere demonſtrationes, ut exuberarent. Ita; cum ſtilus eorum documentorum ſimul in dubium vocaretur; adveniunt huc etiam tot illuſtrationes ac probabilitates, ut nimię jam fiant eæ mihi. Sed hoc ii viderint, qui duas quæſtiones de monumentis certiſſimis fecerunt.

XXVI. Nunc extrema chartarum appetunt. Has enim legimus exaratas Anaſtaſio tabellione de civitate Roma, quod is admonet. Dum probaveramus hactenus eum ſtilum ſcripturarum fuiſſe Romani moris: ut aſſerebamus eum ſimul inſtituti Ravennatis eſſe: qua parte res, opeſque continebantur omnes his actitatæ

ſcri-

ſcriptionibus. Ait Muratorius *& carere* loco donationes Opilionis, eas & ait non carere loco; negans, affirmans in eadem ſua diſſertatione, *Romæ tabulas* expletas. Quæ tamen inquiſitio minus eum, puto, permoverat. Admittuntur enim ſcriptiones ab eruditis, etiam quæ carent ea loci nota.

XXVII. Differunt autem chartæ donationis a libello. Nam dicitur in iis *Aneſtaſius tabelius de civitate Roma*; quemadmodum verba fuerunt. In eo dicitur *Anaſtaſius domeſtico numeri Armeniaci*. Titulus admodum variabat. In his etiam verbis aliquem *colorem certe bonum* viderat Muratorius & profeſſus eſt. Utrimque chartis & donationis, & libelli teſtis apponitur alius, hoc nomine Barbato, ſed eo munere; quod eſt, domeſtico numeri Armeniaci. Teſtes alii ſunt, Jordanus, Armeniacus, Tribunus blandinoni, Leopardus, Baſilius. At chartę Ravennates, at Romanæ quas enumeravimus, at papyri quoque commemorant eos numeros, numeroſque militum; numeroſque publicos militum; ſeu bandos; ut appellavere: notatur & Armeniacus ibi numerus aut Arminiurum, vel Armeniorum. Dicunt eo vocabulo numeros, ut cohortes eos dicerent, legiones, aut alia militum corpora cum ſuis bandis aut vexillis: eos militares ordines eo modo nuncupabant ab urbibus ac locis aliquibus aut provinciis: ut hunc ab Armeniaco modo themate; quemadmodum loquebantur. Hinc ea Conſtantini porphyrogeniti

filii Leonis explicatio eſt : *Armeniacum quod dicitur thema propriam appellationem non habet : neque enim vetuſta eſt hæc appellatio: ſed eam a vicinis atque finitimis Armeniis accepit: imo vero diuerim ſub Heraclio imperatore hujuſcemodi appellationem ſumpſiſſe :* Nec huc alia traham : quæ ſatis ex Maphejo cognoſcuntur.

XXIX. Abeſt ab eo tamen hic Armeniaci numeri domeſticus : aut quę ſignificatio nominis eſſet in caſtris. Erat enim domeſticus, ævi vocabulo, copiarum dux ; ut ex Liutprando teſtimonium tenemus eodem Conſtantini porphyrogeniti ſeculo. Videbamus in Armeniaco numero domeſticos duos: alius eſt Anaſtaſius; alius erat Barbatus: id apparebat ex charta libelli. Cum ſimul advertimus ex Liutprando Lib. III. cap. VII. *Phocam* Conſtantini principatu, *domeſticum majorem, hoc eſt, terreſtris ducem exercitus*. Advocat majores domeſticos; quibus, militiæ gradu, ſuberant minores. Hęc enim Conſtantinus adſerit porphyrogenitus in libro de Thematibus: *optimatum*, ait, *thema ſervitii tantum cauſa aſſumptum eſt, utpote miſerrimum ; neque turmis neque drungis coboneſtatum : & qui huic præeſt, domeſticus tantum nuncupatur ; nec prætor, ſive ſtrategus ; ſed domeſticus, prætori ſubditus, & dignitate longe inferior*. Hęc habuit porphyrogenitus is noſter; ut apparet, eo quoque memorabilis ex ingenii ſui monumentis, pręter alienas commendationes, quas

ante

ante recensuimus. Constantinus porphyrogenitus Leonis filius imperator explicat scriptis suis inscriptas nomine. suo tabulas eas Opilionis. Ex imperatoris igitur explicationibus habemus & domesticos qui parvæ dignitatis erant duces. Ex Liutprandi verbis habemus & domesticos quæ summa dignitas erat in castris. Hanc ego summam rei quamdam trado, nec ut in partes adsigno; vel erat necesse. Nam satis in promptu videtur, ut domesticus Anastasius idem sit Armeniaci numeri tabellio. Fert apud Maphejum charta papyri tertiadecima *Theodoracem* quemdam *militem & scribam Numeri Equitati*. Nec miles est omnis idem domesticus. At quoniam domestici militum fuerunt alia atque alia conditione, vel officio, vel ordine, demum traducuntur & ad notarios. Ita militiam scriptumque fecerunt: utroque munere spectabiles utcumque suis.

XXX. Alia sunt in instrumentis nostris ex quibus arguebam facilius esse de totis iis, quam de singulis eorum partibus agnoscere. Nam de totis hæc in universum patebant; ea respondere scriptis ævi decimi; scriptis originalibus; alienæ vero provinciæ scriptis, in qua stilus is usurpabatur. Hęc erat omnis eorum documentorum facies, ita patens, ut alię sunt eo de genere scriptiones ac tabulæ quas passim recipimus. At partes aliquæ nostrarum scriptionum secretiores erant, eæque minus in conspectum veniunt. Ita sunt aliarum

quoque ſcriptionum quæ vulgo prodire ſolent in hoc ordine: ſæpe totas eas recipimus; aliquę partes earum tamen ignorabantur: & omnium ſcriptionum generis omnis hæc aliquando conditio eſt. In chartis Opilionis ultima pars aliquantum remotior a vulgatis ejus ætatis inſtrumentis. At ſcripturæ, quæ bona eſt, accipiendæ ſunt bene partes etiam difficiliores. Ex iis & aperiri poteſt ævum quod latet. In chartis enim talibus adeſt Armeniorum phalanx: ejus domeſticus alius; alius etiam domeſticus, idem tabellio: quæ nec inexplicata manent; ut erat argumentum pręſens. At ea de militia Græcorum fuerunt omnia; quemadmodum Conſtantinus is Leonis filius, imperator in titulo ſcriptionis. Opilio quoque ſcriptionem per omnem patricius eſt, Opilio patricius imperialis, Opilio Romanorum patricius. Hę formulæ, quas interpretes Opilionis in immenſum præcipitant, omnino ſtabunt, ubi patricios Græci moris attenderimus. Nam quos Gręcos aut Græcum quod imperium dicimus, iis tempeſtatibus, in iis gentibus, omne Romanorum vocabulo fuit.

XXXI. Hi ſe Græci Romanos appellant, imperator autem ſe Romanorum vocat. Adeo nobis Romanis irati ſunt, adeo noſtris imperatoribus infeſti ſunt: nos Italicos Germanoſque pro Romanis populis Francos dictitant, imperatoreſque noſtros ob eam, quam dicunt, nominis uſurpationem vexabant. Audi Grecos:

ajunt:

ajunt: *Papa litteras nostro sanctissimo imperatori misit; Graecorum, non Romanorum, imperatorem vocans: papa fatuus, insulsus ignorat, Constantinum sanctum imperialia sceptra huc transvenisse, senatum omnem, cunctamque Romanam militiam; Romae vero vilia mancipia, piscatores scilicet, cupediarios, aucupes, nothos, plebejos, servos tantummodo dimisisse:* quæ de Liutprandi legationibus excerpta sunt. Et historicus hic omnis, aliique latini: magis historiæ deinde Græcorum,. tabulæ nummi, ceteræ vetustates eam consuetudinem Græciæ declarant, ut imperium Græcum dici Romanorum vellet. Ergo facilis ea lege Græcus patricius Opilio est; Romanorumque patricius appellatur eo tempore cum Græci se vocant Romanos; imperialis autem patricius est, imperii quidem Græci quod appellatum fuit Romanum.

XXXII. Patricios multos hoc imperium Græcum, vel eo nomine Romanum, dabat: hos in omnibus historiis earum partium videmus: eos pacis ac belli negotiis adhibitos: huc ex omni natione cooptatos honestatosque mortales: ex quibus *ordo patriciorum* creverat. Liutprandus in palatium Constantini porphyrogeniti nostri vocatus, eo videbat ordine procedere dignitates: *primus*, ait, *rector est domus: post alii duo, quorum alter militibus, navigantibus præerat alter: post hos admissi sunt magistri: patriciorum deinde ordo hos pone est secutus; & patriciorum numerum nescio: tur-*

ba post hos immensa vocatur, protospatbariorum, spatbariorum, candidatorum, & id genus clientum: lib. VI. cap. V. Ita respondent sibi Constantinus porphyrogenitus, Opilio patricius, armeniacus numerus, ejus domesticus, aut domestici: græca sunt omnia: si cum ceteris putetur & Roma, tenens easdem chartas Opilionis. At Græci Constantinopolim quoque Romam dixerunt; ut hæc etiam valet fama per omnes eas ætates. Anastasius autem domesticus Armeniorum se tabellionem de civitate Roma vocavit. Hunc ego designandi modum chartis in aliis adverti.

XXXIII. Nam quas enumeravimus aut Ravennates, aut Romanas tabulas, ita vidi; cum se notarii profitebantur in iisde Ravenna vel urbe Roma fuisse, tum significari scriptum Ravennæ vel Romæ factum fuisse. Quę si Muratorius attenderet, habuisset se constantius in definiendo nostrorum documentorum loco. Nobis autem positis hic inter utramque Romam veterem novamque restat adhuc ea consultatio, quæ sit earum civitatum duarum propior huic argumento. Pro vetere quippe monebant priores observationes, pro nova novę. Primum latinitas ejus hominum generis est probabilior in urbibus latinis, quam Græcis. At Gręci non probant cur auctoritate latinorum contrahant. Hæc aliaque talia dixi non habere quidem falsos nos, at ignaros. Nec scimus omnes eas consuetudines aut pacta nationum duarum quę tot seculis una fuerunt.

Apud

Apud Venetos ultimis usque temporibus erant in foro qui se notarios imperiali dicerent auctoritate. Plures homines hac auctoritate vocant se comites palatii Lateranensis. Et permittunt sibi principes ac permutant in alienis provinciis eas aut similes honorificentias.

XXXIV. Hęc ultima scripturarum pars indicaverat militares eo coactos homines: ejus ordinis Opilionem patricium, signa quædam cum suis ductoribus. Ad proximas etiam regiones, Apuliam, Calabriam, *duo illa themata*; *quæ*, quod ait Liutprandus, *ultra mare* Græci possidebant; exercitus ejus gentis aliquis eo tempore spectabat. Demum Romæ per eos annos perpetuę turbę fuerunt. Has observationes in aliquam conjecturam capiam. Seculo pręsenti decimo, cum Saraceni Fraxinetum Provincię Italięque finibus insederant, maritimis alpibus, Ugo rex Italicus adversus eos consultans, *nuntios suos Constantinopolim dirigit*, *propter naves & Græcum ignem. Imperator continuo naves cum Græco igne præparavit*, *& munera maxima misit. Unde rex Ugo*, *misso sibi Græco igni ab imperatore Græcorum*, *Fraxinetum oppugnat*; *& navibus Saracenorum exustis*, *illud expugnat*; *& inde eos fugat*. Hęc Albericus anno nongentesimo quadragesimo secundo; quemadmodum Frodoardus, Annalista Saxo, Liutprandus, item Sigebertus, aut alii quoque: nam fuit hoc in primis illustre quoddam factum; Constantino principe. Quod mihi sic interpretor. Ita volo: Græcos ea pu-

gna victores navibus in Fraxinetum descendisse; duces ibi cum militibus agere; tum negotia tractari, publicas etiam tabulas confici. Puto, non diversum legeremus in his quam ferant eæ scriptiones Opilionis: aut in principio nomen imperatoris; ex eo vocabulum classis, aut præfectos ac milites eos classiarios, instrumenti quoque locum, vel alia: scilicet eas *Argivæ phalangis*, ut de Virgilio sumimus, illustrationes ac memorias, in alieno quidem solo, procul a Græciæ regionibus ac dictionibus.

XXXV. Hæc eo modo sunt ab alia quoque parte, si numerus Armeniacus atque alius Græcanicæ militiæ globus ex finitimis excubiis ad urbem venerat, quo civium factiones alia vel alia vocaverant; aut adversus externos metus: has enim causas duas noscimus Romanos ea tempestate semper in armis habere. Si Græcorum, quemadmodum præsumitur ad Fraxinetum, sic ad urbem fuit adventus, apparebat *statim* cur Opilio Græcus patricius aut commilitones ejus incurrerint in hujusmodi tabulas, etiam si confectas opinemur eas in arce Latini nominis. Habemus eo seculo Romam suorum consulum pontificumque sæpe dissensionibus exagitari: quas diximus civium factiones. Habemus eam bellis occupatam vel adversus Italicos reges, aut prædones Africanos, adversus Ottonem quoque Cæsarem vel alios: hæc dicimus externos metus. Utrumque periculi genus, a suis, ab alienis, id advo-

care

care potest in urbem præsidii causa milites etiam Græcos, conterminos; ut fit in vicinitate: nec abhorrere debuit animus ab hac opinione, copias ejus gentis interdum coactas in Urbem: quod indicium qualecumque ponitur ex Opilione. Romam vero nonnullas opes a Græcis hominibus expectavisse, Ravennam quoque, prætendit oratio Græcorum, de qua Liutprandus admonuit. Hi legatos Ottonis eo modo sollicitabant: inquiunt; *si datis, quod decet, accipietis quod libet: Ravennam scilicet & Romam cum his omnibus continuatis quæ ab his sunt usque ad nos. Si amicitiam absque parentela desideratis, Romam liberam esse dominus tuus permittat*. Hæ necessitudines eo seculo nostræ cum Græcis erant; qui pro libertate maxime populi Romani verbis; &, si daret opportunitas, armis etiam contenderent. Ita gentis ejus exercitus, ac duces, quos aliquantulum refugerat Muratorius, huic urbi conciliamus.

§ XXXVI. Ego nihil hac in parte me definire quidem posse professus eram. Tantum videor obtinere, nullas eo denique difficultates ingeri, quæ valeant. Ac nobis omnia conjecturarum probabilitatumque plena sunt. Ita cum dixerimus hic aliquid incertum fore, non intelligebamus id ex dubio quodam falsitatis: at ex bonis tot rationibus quas meliores faceremus. is examinis modus habet nos suspensos. Hæc Opilionis instrumentorum conditio est, ut in ceteris quidem

partibus omnes exhibeant veri demonstrationes, in ultima autem parte nullas objiciant falsi suspiciones.

Autographas ita dicebam chartas Opilionis, ut appellantur eo nomine scripturæ primariæ: quæ primarię dici scripturæ solent ab autoritate, vel manu principis autoris. Ac primo quidem modo tabulæ sunt Opilionis originales. Quæ manus indicant tres: at unam dictantis aut mandantis Anastasii tabellionis autoritatem fidemque.

„ In nomine domini nostri Ihesu Christi. Imperante
„ piissimo augusto Constantino a Deo coronato pacifi-
„ co magno imperatore. Anno quintodecimo sub die
„ mensis iunii indicione prima. Domino sancto & me-
„ rito auctor beatissimo seu & venerabili monasterio
„ Sancte Justine virginis, & martiris ubi corpus San-
„ cte Justine & Sancti Prosdocimi & multa corpora
„ aliorum sanctorum requiescit, quod est constructo
„ foris urbe Paravensi ubi multa res a bonis homini-
„ bus delegata sunt. Ego quidem in dei omnipoten-
„ tis nomine Opilio patricius Romanorum dono in
„ predicto monasterio pro oblacione & inluminacione
„ seu pro eterna remuneracione anime mee & de
„ quondam parentorum meorum presens presentis salu-
„ te magni donacionum sanctarum scripturarum nos

„ racio

„ racio promon& ita semper considerare atque dispo-
„ nere que pro animabus & meritis regni celestis re-
„ tribucione merear promereri. Credimus nos sine du-
„ bio in evangelica leccio promon& subsequi leccioni-
„ bus ut in hoc seculo centuplum & in futuro vite
„ eterne esse participes. Qua de re ego suprascripte
„ Opilio bono animo ac spontanea voluntate nullus
„ me penitus cogente neque compellente aut suaden-
„ te vel vim inferente sed meis propriis deliberacioni
„ arbitrium. Ideo dans dono cedo trado & transfero
„ atque transacto & da meo iure meoque dominio
„ meisque heredibus vel successoribus alieno & trans-
„ scribo atque subduco in iure & dominio suprascri-
„ pto monasterio perpetuum permanendas eo quod ha-
„ bere & detinere viso sum in comitato Boloniense
„ quas mihi advenit per cocumque modum vel titu-
„ lum aut undique mihi advenisse&. Hoc sunt fundo-
„ ras que vocatur Kasinius cum casis masariciis vel
„ omnibus rebus ad se pertinentibus: id est casali quo-
„ rum vocabula sunt Sitiliano, Monteclo, Vindemio-
„ lum, Marcio, & Arucias, cum casale Paulinis, Ro-
„ tariorum, Saturiorum, vico Fraxeneto, Quingentula,
„ Columbiano, Granariolo, & villa magna, cum ca-
„ sis & massariciis & cum omnibus suorum pertinen-
„ ciis ad eisdem locis pertinentibus in integrum. Et
„ capella una cum area sua, & cum omnibus suorum
„ pertinenciis infra civitate Boloniensis que est con-

„ ſtructa in honore Sancte Juſtine virginis & marti-
„ ris. Alia fundora ſociorum, Piſcianus, Marianus, Ga-
„ bianus, Julianus, & fundum Micauri quod eſt ſu-
„ pra naves. Caſales cui vocabulum eſt Mimianus hoc
„ eſt Liliolis que eſt inter Miſiano & Columbiano cum
„ omnibus pertinenciis ſuis. Item fundo in alio loco
„ ſociorum, alio fundo Micauri quod eſt ſub ripa de
„ Barbiano & Gabiano inter Clodia & Strata. Alia
„ vero fundora quod eſt in vico Romanulo, & fun-
„ dum ortis cum omnibus ſuorum pertinenciis in in-
„ tegrum. Cum caſis curtis ortis areis. Deforis vero
„ tam terris aratoreis ſeu vigris vineis cum areis ſua-
„ rum, tam terris arabilis & gerbis campis pratis pa-
„ ſcuis ſilvis ac ſtellareis rivis rupinis ac paludibus col-
„ tis & incoltis diviſi & indiviſi una cum finibus ter-
„ minibus acceſſionibus & uſibus aquarum aquarumque
„ ductibus cum omni iure adiacenciis & pertinenciis
„ earum rerum per locas & vocabulas ad eaſdem fun-
„ doras & capella & caſis & omnibus rebus qualiter
„ ſuperius legitur in integrum ab hac die in eadem
„ venerabilis monaſterio beatiſſime Sancte Juſtine &
„ Sancti Proſdocimi & aliorum multa corpora ſancto-
„ rum in perpetuum permanendas pro eo, ſicut dixi,
„ pro remedio anime mee & de quondam parento-
„ rum meorum. & ab hodierno die numquam licet
„ mihi ſupraſcripto donatore neque meis heredibus vel
„ ſucceſſoribus ullo umquam in tempore nullamque

„ mo-

„ molestia generare a pars predicto monasterio de is
„ omnibus quod superius legitur pro ex parte vel ex
„ totum num ago neque contendo aut invado vel in-
„ occupo, neque agentibus quod desidero audeo nec
„ per me neque per meis heredibus vel successoribus
„ neque per meam submissam vel submittandam per-
„ sonam maioris vel minoris propinquis vel extraneis
„ & non adeunde iudicium & non supplicandum prin-
„ cipibus neque per ecclesia interpellacione aut per re-
„ galem vel imperiali magestate vel potestate, neque
„ per ullo modo nullamque racione contraire quod
„ absit & aufer& voluntatem : quia legibus cautum
„ est, ut quod semel in sancto ac venerabili mona-
„ sterio donatum vel concessum fuerit nullo modo re-
„ vocetur. Unde pro maiori firmitatem & si quo tem-
„ pore queppiam personam hominum surrexerit que
„ ad pars predicto monasterio calumnia generaret, ego
„ suprascripto Opilio donatore cum meis heredibus a
„ pars predicto monasterio ipsa res ab omni persona
„ hominum stare & contra omnes auctoriare promit-
„ to. Quod si quod absit & averta divina potencia &
„ omnia que supra legitur non observavero vel adim-
„ plevero & contra hec ire vel agere aut contendere
„ voluero atestacione confirmo, quia daturo me esse
„ promitto ego suprascripto donatore una cum meos
„ heredes vel successores a pars predicto monasterio
„ ante omni litis inicium pena auri optimi libras trex

„ & post

„ & poſt pena ſolucione me ad hanc paginam dona-
„ cionis in ſua firmitate permaneat. Qua vero pagi-
„ nam in dei nomine Aneſtaſius tabelius de civitate
„ Roma ſcribenda rogavi & ſubter manu mea pro-
„ pria firmavi teſtibuſque a me rogatis obtuli ſubſcri-
„ benda; eorumque preſencia eam tradidi ſub die men-
„ ſis iunii indicione prima.

† Ego Opilio glorioſus imperialis patricius Romanorum in ac donacionis cartula a me facta manu mea ſubſcripſi.

† Ego Jordanus in ac cartula rogatus teſtis manu mea ſubſcripſi.

† Ego Armeniacus rogatus teſtis manu mea ſubſcripſi.

† Ego Tribunus Blandinoni rogatus teſtis manu mea ſubſcripſi.

† Ego Leopardus rogatus teſtis manu mea ſubſcripſi.

† Ego Baſilius rogatus teſtis manu mea ſubſcripſi.

† Ego Barbato domeſtico numeri Armeniaci rogatus teſtis manu mea ſubſcripſi.

„ In nomine domini noſtri Iheſu Chriſti. Imperan-
„ te piiſſimo auguſto Conſtantino a deo coronato pa-
„ cifico magno imperatore. Anno quintodecimo ſub
„ die menſis iunii indictione prima . . . . . ſancto &
„ merito auctor beatiſſimo & venerabili monaſterio

„ San-

„ Sancte Justine virginis & martiris, ubi corpus San-
„ cte Justine & Sancti Prosdocimi & . . . . corpora
„ aliorum sanctorum requiescit qui est constructum fo-
„ ris urbe Patavensis ubi multa res a bonis homini-
„ bus delegata sunt. Ego quidem in dei omnipoten-
„ tis . . . . Opilio patricius Romanorum dono in pre-
„ dicto monasterio pro oblatione & inlumine seu pro
„ eterna remuneracione anime . . . . rum pre-
„ sens presenti salute magni donac . . sanctarum scri-
„ pturarum . . . . . acio promon& ita semper consi-
„ derare atque disponere que p . . . . regni ce-
„ lestis retribucione merear promereri. Credimus nos
„ sine dubio in evangelica leccio promon& subseq . . .
„ leccionibus . . . hoc seculo centuplum & in futuro
„ vite æterne esse particeps. Qua de re ego supra-
„ scripto Opilio bono animo ac spontanea vol . . . .
„ . . . . ente neque compellente aut suadente
„ vel vim inferente, sed meis propriis deliberacioni
„ arbitrium. Ideo dans dono . . . . & da meo
„ iure meoque dominio meisque heredibus vel succes-
„ soribus, alieno & transscribo atque subduco . . . . . .
„ . . . . manendas eo quod habere & de-
„ tinere viso sum in comitato Boloniense quas mihi
„ advenit per quocumque modum vel . . . . . mihi
„ atvenisset. Hoc sunt fundora que vocatur Kafinius
„ cum casis massariciis vel omnibus rebus . . . .
„ . . . . sunt Sitiliano, Monteclo, Vindemiolum,

„ Mar-

„ Marcio, & Arucias cum casale Paulinis, Rotariorum
„ . . . . . . vico Fraxeneto, Quingentula, Columbia-
„ no, Granariolo, & villa magna cum casis & mas-
„ sariciis . . . & omnibus . . . pertinenciis ad eisdem
„ locis pertinentibus in integrum. Et capella una cum
„ area sua & cum omnibus suorum pertinenciis infra
„ civitate Boloniense quod est constructa in honore
„ Sancte Justine virginis & martiris. Alia fundora so-
„ ciorum Piscianus, Marianus, Gabianus . . . . . &
„ fundum Micauri qui est super naves. casales cui vo-
„ cabulum est Mimianus, hoc est, Liliolis, qui est in-
„ ter Misiano & Columbiano, cum omnibus pertinen-
„ ciis suis. Item fundo in alio loco Saciorum, alio fun-
„ do Micauri qui est sub ripa de Barbiano & Gabia-
„ no inter Clodia & Strata. Alia vero fundora qui
„ est in vico Romanulo, & fundum Ortis, cum omni-
„ bus suorum pertinenciis in integrum. Cum casis,
„ curtis ortis areis, deforis vero tam terris aratoreis
„ seu vigris vineis. cum areis suarum tam terris ara-
„ bilis, & gerbis, campis pratis pascuis silvis ac stel-
„ lareis. rivis rupinis ac paludibus coltis & incoltis di-
„ visi & indivisi una cum finibus terminibus accessio-
„ nibus . . . . que ductibus cum omni
„ iure adiacenciis & pertinenciis earum rerum per lo-
„ cas & vocabulas ad easdem . . . . omni-
„ bus rebus qualiter superius legimus in integrum
„ ab hac die in eadem venerabili monasterio bea-

„ tis

„ tis . . . . & Sancti Prosdocimi & multa cor-
„ pora . . . . in perpetuum permanendas pro eo
„ sicut dixi pro remedio anime mee . . . . . de quon-
„ dam parentorum meorum & ab hodierna die num-
„ quam liceat mihi suprascripto donatore neque . . .
„ . . . . successoribus ullo umquam in tempore nullam-
„ que molestia generare a pars predicto monasterio de
„ his omnibus quod supra . . . . . . pro ex parte vel
„ ex totum num ago neque contendo aut invado vel
„ inoccupo neque agentibus quid desidero . . . .
„ neque per meis heredibus vel successoribus neque per
„ meam submissam vel submittendam personam mino-
„ ris vel maioris propinquis vel extraneis & non ad-
„ eundem iudicium & non supplicandum principibus
„ neque per ecclesia interpellacione aut per regale . .
„ . . . . . lem magestatem vel potestate neque per ul-
„ lo modo nullamque racionem contrarie, quod ab-
„ sit & . . . . cautum est ut quod semel
„ in sancto ac venerabili monasterio donatum vel con-
„ cessum fuerit nullo modo revo . . . .
„ & si quo tempore quippiam persona hominum sur-
„ rexerit que ad pars predicto monasterio calupniam
„ . . . . suprascripto Opilio donatore cum meis
„ heredibus a pars predicto monasterio ipsas res ab
„ omni persona hominum stare & contra omnes au-
„ ctoriare promitto. Quod si, quod absit, & averta
„ divina potencia, & omnia que supra legimus non

H „ ob-

„ obſervavero vel adimplevero, & contra hec ire vel
„ agere aut contendere voluero, ateſtacione confirmo,
„ quia daturum me eſſe promitto ego ſupraſcripto do-
„ natore una cum meos heredes vel ſucceſſores a pars
„ predicto monaſterio ante omne litis inicium pena
„ auri optimi libras tres, & poſt pena abſolucione me
„ ad anc paginam donacionis in ſua firmitate perma-
„ neat. Qua vero paginam in dei nomine Aneſtaſius
„ tabelius de civitate Roma ſcribenda rogavi & ſub-
„ tus manu mea propria firmavi teſtibuſque a me ro-
„ gatis obtuli ſubſcribendam; eorumque preſencia eam
„ tradidi ſub die menſis iunii indictione prima.
. . . . patricius Romanorum in hac do-
nacionis cartula a me facta manu mea ſubſcripſi.
. . . . rogatus teſtis manu mea ſubſcripſi.
. . . . manu mea ſubſcripſi..
. . . . rogatus teſtis manu mea ſubſcripſi.
. . . . pardus rogatus teſtis manu mea ſubſcripſi.
Ego . . . . ſilius rogatus teſtis manu mea ſubſcripſi.
Ego Bar . . . . numeri Armeniaci rogatus
teſtis manu mea ſubſcripſi.

„ In nomine domini noſtri Iheſu Chriſti. Impe-
„ rante piiſſimo perpetuo auguſto Conſtantino deo co-
„ ronato pacifico magno imperatore. Anno quintodeci-
„ mo. Opillioni patricio concedere jubeatis rem iuris

„ ſan-

„ ſanĉte veſtre dominate æccleſiæ Juſtine. hoc eſt fun-
„ dum qui vocatur Caſinius cum caſibus ſuis vel o-
„ mnibus ad ſe pertinentibus, id eſt, caſalia quorum
„ vocabula ſunt Sitiliano, Monteclo, Vindemi olam,
„ Marcio, & Arucias, cum caſale Paulinis, Rotario-
„ rum, Saturiorum, vico Fraxeneto, Quinquegintu-
„ la, Columbiano, Granariolo: & villa magna in in-
„ tegro ibidem pertinentem iuſta ipſam civitatem Bo-
„ nonienſe. Alia autem fundora ſociorum Piſcianus,
„ Marianus, Gabianus, Julianus, & fundus Micauri,
„ quod eſt ſupra naves. Caſales quod dicitur Lauren-
„ cianus: atque caſales cui vocabulum eſt Mimianus,
„ hoc eſt Liliolis, quod eſt inter Miſiano & Colum-
„ biano. Item fundo in alio loco Sociorum. Alio fun-
„ do Micauri, quod eſt ſub ripe de Barbiano & Ga-
„ biano inter Clodia & Strata. Area vero quod eſt in
„ vico Romanulo; & fundum Ortus, in integrum.
„ Cum ſilvis ſaleĉtis terris ſacionalibus pratis paſcuis,
„ aquaris, rivis, fontibus, arboribus fruĉtiferis & in-
„ fruĉtiferis, vel quicquid ad ipſa fundora ſeu caſalia
„ pertinere iubetur in integro tenendas colendas me-
„ liorandas & omnes fines eius defendendas de meis
„ propriis expenſis ſeu laboribus nichil in dominico:
„ Auĉtoribus veſtris computariis & ſub pena ſtatuatis,
„ ſingulis quibuſque annis penſionis nomine per unum-
„ quemque annum inferenda aĉtoribus ſanĉte veſtre ec-
„ cleſie Juſtine penſione auri puriſſimos obpriziacos ſo-

„ lidos XII. Sed ſupradicta fundora vel caſalia cum
„ omni melioracione que ad eaſdem uſibus pertin& in
„ iuræ ſancte veſtre dominate eccleſie Juſtine; ut poſt
„ meum obitum, cuius eſt proprietas, revertatur ec-
„ cleſie. Adicientes nun, ut ſiquis contra preſente pe-
„ ticionis cartule emfitheoſeus ire temtavero, promit-
„ to me Oppileo glorioſus patricius aut pars parti ante
„ omne litis inicium pene auri libras III. Quod ſi mi-
„ nime fecerimus de eaq; ſuperius adſcripta leguntur;
„ poſt pene ſolucionis, licencia vobis ſit nos exinde
„ expellere, & qualiter previderitis, res ſancte veſtre
„ eccleſie tribuatis qua . . . . peticionis noſtre cartula
„ ſine vi vel metum vel ullam circumſcripcione ego
„ Anaſtaſius domeſtico numeri Armeniaci ſcribendo di-
„ ctavimus, in qua nos pro maiorem firmitate ſubter
„ propria manus ſcripſi, & poſtea me rogavi obtuli
„ ſubſcribenda, & in ſcrinio ſancte veſtre eccleſie Op-
„ pilio glorioſus imperialis patricius ant peticionis car-
„ tulam de ſupradicta fundora vel caſalia ſunt propria
„ manus mea ſubſcripſi.

Jordanus. Armeniacus. Tribunus Blandinoni. Leopardus, Baſilius, Barbato domeſtico numeri Armeniaci.

CA-

CAPUT VI.

DCCCCLXXI. Indictione XIV.

I. GAuslinus ædificat monasterium Sanctæ Justinæ. Quæ narratio ferebat initium dicendi prorsus infelix. Id enim habet: *cum venissem ego Gauslinus episcopus in ecclesia beate Justine martiris & beati Prosdocimi presulis, & vidissem ibi per circuitum omnem locum desolatum, nec erat ibi qui alicui diceret, aut aliquam susceptionem hospitibus aut pauperibus pararet*. Eo ruinarum *locus omnis* is iverat. Antistites etiam posterioris ætatis habentur; ut anno MXXXIV. unus eorum commemorans *videlicet de ecclesia sancte Iustine virginis, que sita est foris civitatem Pataviensem, quam olim quasi destructam ac desolatam pene ab omnibus* enarrabat, ut ævo Gauslini fuit. Alter eorum quoque præsulum recolens erat anno MLXIIII. *videlicet de ecclesia Sancte Iustine virginis, quam olim destructam ac desolatam pene ab omnibus* adstruit hac ętate Gauslini.

II. Quos autem cladis autores advertit & Cavacius Ungaros immanissimos homines. Ut enim vastationes eas omittam quas Ungari locis præcipue sacris intulerunt ab alio aut alio quidem capite Italię, quę magis hinc aberant; ac de iis autores eorum temporum

continent; ut erant Aquilejenses ab una parte, Mutinenses autem, Regienses, & Parmenses, & Placentini, Cremonenses, ac Ticinenses ab alia: rem tamen hanc ego definiens eo terrarum tractu, quę provincia maxime nostra fuit, Verona, Vincentia, Tarvisium, Patavium, sic animadverto, civitates has omnes iis Ungarorum sacrilegiis admodum pollutas. Itaque de Veronensium clade testis in primis erat Ratherius objiciens, in ea ditione sua *passim* res ædesque deo sacratas *incendio Paganorum* dirutas: & alibi malum religionis aversabatur, *incenso ab Ungaris cœnobiolo*. Tum scriptores alii alia talia. De Tarvisinis ab adverso regionis angulo casus eosdem ferunt antiquæ lectiones; ut eę quas exhibet Ughellus: hinc enim apparet, ęvo Caroli Magni fundatum *virginis Mariæ, sanctæque Crucis, atque martyris Fuscæ* monasterium *tertia stadii parte ab urbe Tarvisio distans;* eo monachos igitur invectos, eo sanctorum quoque reliquias, eo corpora martyrum Senesii, ac Theopompi; denique *post annorum multorum curricula gens Hunnorum perfida plurimas Italiæ vastantes provincias hunc sanctissimum locum peccatis ingruentibus funditus destruxit*. Ac Vincentini magis eam pestem tulerunt; ut habetur in Actis sancti Theoderici Metensium præsulis. Hic anno DCCCCLXX. *corporum sanctorum maximam copiam ex diversis Italiæ locis invehere studuit. Civitas Vincentia est: in ea martyr Leontius monasterio celebri condebatur:*

tur: hunc beatum, & Carpophorum Romæ passos ab eadem Civitate non longa ante tempora translatos incolæ asserebant, ubi & nobile quondam monasterium sancti Felicis visebatur, ubi & primi reconditi ferebantur: sed eo ab Ungris, qui pene locorum ipsorum vicini sunt, exusto, atque assidua incursione eorum reparationem prohibente, ad sedem episcopalem infra urbem sub altare depositi sunt. Ea sors monasterii Sancti Felicis. Id enim *omni monastico cultu & divino officio destitutum ac desolatum, ob devastationem barbararum gentium quæ in Italiam tunc temporis irruerant*, omnino consentiunt etiam chartæ Vincentinæ, quas post edisseram. Nunc ea tractatio reliquos Patavinos habet, quorum templis ac religionum sedibus Ungari præ ceteris barbariç gentibus insultaverant. Initio quidem seculi vidimus antistites hujus urbis apud principem expostulantes, ab *Ungaris incensa basilica, chartis amissis*. Ante sex hos annos eadem Patavini præsules imperatori detulerunt; *Ungarorum incursu*, pariter *incendio chartulas* absumptas. Ex adverso pontifices nostros alienę querelę pulsabant: ut anno seculi forte vicesimo sacerdotum Civitatis eæ voces erant, autenticas *chartas propter rabiem paganorum crematas esse consumptas & perditas:* id anno quoque nongentesimo sexagesimo quarto simul omnes inclamabant: id anno nongentesimo septuagesimo octavo maxime repetebant. Ita pessum ierant apud nos ab ea feritate pontificales opes.

III.

III. Alterum ergo ordinem quoque ſanctos monachos ii graſſatores eadem ſævitia dilaniabant. Ea quidem prodidit autor hiſtoriæ ſancti Danielis: nam *civitate in antiquo tempore per triennium & amplius obſeſſa, & tandem, ut Longobardica narrat hyſtoria injecto igne concremata, & ſolo tenus diruta, & poſtmodum ab Ungarorum rabie deleta, & eiuſdem loci monaſterio exuſto atque deſtructo, abductis a Paganis, prob nefas! ſanctimonialibus que illic in diebus illis deo ſerviebant, abductis etiam civibus & jugulatis, nulla ſuper terram in loco ipſo ſancti Danielis mentio remanſit*. Eam lectionem damus ex antiquo manuſcripto, quam Cavacius expreſſerat ex novo; propterea nec hæc auctoritate valebat, & mendis aut mendaciis interdum putabatur ineptiens. Ego nunc id egi meis obſervationibus, ut dictum vetuſti ſcriptoris in pretio ſit; ejus autem narratio magnas in omnem partem trahat explicationes. Ea ſub immanibus Ungris itaque terræ facies: hæc Italiæ pars quę Tarviſinæ denique Marchæ nomen a nonnullis ſeculis habet, omnis Ungarico bello decidit. Nam de monaſterio quoque Sancti Hilarii, quod ultimum in hac ora Venetis accenſebatur, aliquid inter eorum ſcriptores aliquando me vidiſſe memini: tamen in præſenti re locus autoris aut nomen abeſt a memoria mea: quandoquidem farragines eę multæ ſunt ex editis ineditiſque: nec omnia, quę legere paſſim oportet, in adverſaria transfero.

Cer-

Certum id ex monumentis nostris; quę prodita sunt hactenus & probata sunt, eo barbarorum concursu prostratas esse nostratium fortunas omnes; urbem captam, incensam; cives abductos excruciatos; oracula divum, sanctuaria virorum fœminarumque terrę data. Quæ recentior omnia scriptor enumerans, ut ex antiquis acceperat, ante trecentos & quinquaginta plus annos, is quoque lamentabatur; *obsesso per triennium Patavio, & igne cremato; postmodum etiam ab Hungarorum barbarie deleto; & ipso monasterio Sancte Justine exusto, ac sanctimonialibus que ibidem deo famulabant, cum civibus, abductis ac iugulatis*. Alius est autem ex nostris harum calamitatum descriptor; hic autor & vetustate sua nobilis, & fide; qui *monasterium beatæ Justinæ* sibi præcipuum proponens in ea vastitate, notabat; ejus *in gremio plurima sanctorum corpora quondam* latere, *quorum requiem* Patavini *patres junioribus, juniores vero modernis ad invicem narraverant, sanctorum nomina quiescentium vetustate temporis penitus ignorantes. Namque Civitas ab Ungarorum rabie ceterisque feris gentibus eximiam fuit passa ruinam: unde qui Sanctorum quondam reliquias in prefati monasterii viscere vallaverant, cunctis universe carnis viam ingredientibus, vel propter sue patrie memoratam ruinam per barbara loca tunc peregrinantibus, rerum temporumve succedens permutatio, sanctorum nomina videlicet a modernorum memoria penitus obduxerat:* &c.

IV. Scriptores eos rerum nostrarum, quos in argumentum advocabamus, alio retractare convenit; atque eo de cujuslibet ætate studioque, de codicum situ meritoque reservamus explicationes alias. Hoc enim loco tantum observationis in eos adhibuimus, adeo nostros eos ex finitimis explevimus; atque eos hosque commune seculi malum credibiles efficit; ut Gauslini præsulis ad Patavinos allocutio denique constaret omni significatione sua: cum se dixerat, huc accessisse, cum se videre *per circuitum* dixit *omnem locum* ibi *desolatum*; nec aliquem esse *qui susceptionem hospitibus aut pauperibus* exhiberet. Hoc enim quod arcanum fuisset antea, vel eductum de conjecturis, aut ambiguo teste, nunc habetur exploratum crimen, ut alia, efferæ nationis in hac urbe vel aliis: easque ruinas ita nos etiam spectamus, ut antistes ut populus execrabatur ex sævis Ungaris.

V. Ab hac itaque miseria Gauslinus hoc anno monasterium Sanctæ Justinæ relevabat. Ut *cœnobium*, inquit, *ædificarem monachis*. Id ait *cœnobium*, de quo dictum fuerat ante centum circiter annos, *actum in cœnobio sancte Iustine*: de quo præterea memoratum toties iis seculis tribus, octavo, nono, decimo. Tanta loci moles humo denique dejecta novum substructionis omen hac tempestate ferebat. Non enim his instrumenti verbis existimare convenit, eam sedem Gauslino presule primum fundari; monachos advocari: quæ

vide-

videtur opinio Muratorium cepisse. Causa putandi magno viro sunt aliquę nostrorum præsulum formulæ; quas etiam dabimus hic omnes; ut studiosis ea rerum capita præsto sint. Hoc itaque totum ferebat ipse Gauslinus, anno eo DCCCCLXXI. *cum venissem*, inquit, *in ecclesia beate Iustine martiris & beati Prosdocimi presulis, & vidissem ibi per circuitum omnem locum desolatum; nec erat qui alicui diceret, aut aliquam susceptionem hospitibus aut pauperibus pararet, tunc inspirante Christi misericordia, cor meum implere ac visitare dignatus est, ut ob ipsius amorem sanctorumque omnium, nec non & beate Iustine martiris beatique Prosdocimi confessoris ibique cenobium edificare monachos. Tunc congregavi omnem clerum omnesque obpimates cunctus populus; quod dominus in corde meo inspirasset; set & valde omnibus placuit: unde cum omnibus sacerdotibus, cuncto clero, & cum omnium fidelium consensu, juvante deo, construximus cenobium: ibique prefati monachi qui ibi preesse debent, firmi & stabiles esse possint*. Alter antistitum nostrorum Burchardus anno MXXXIIII. scribit hoc modo: *Gausilinus Patavienfis episcopus non modicam habuit diligentiam videlicet de ecclesia Sancte Iustine; quam olim quasi destructam ac desolatam pene ab omnibus videbatur: pro dei amore & veneratione ejusdem Sancte Iustine monasterium inibi construxit, & abbatem atque monachos ordinavit, atque ex ipsius episcopii rebus donationem tantam dona-*

vit, ut aliquantulum ibi deo servientes possint vivere. Tertius est Patavinorum pontifex Oudelricus anno MLXIIII. repetens ea: *Gausilinus episcopus non modicam habuit diligentiam videlicet de ecclesia Sancte Justine; quam olim destructam ac desolatam pene ab omnibus videbatur: inibi monasterium construxit, & abbatem atque monachos ordinavit, atque ex ipsius episcopii rebus donationem tantam donavit, ut aliquantulum ibidem deo servientes possint vivere.*

VI. Nunc omnia prostant ex antiquitate quæ factum Gauslini complectebantur. Hæc autem intelligi tantum debuerant quantum sinunt aliæ narrationes alio aut alio tempore, quas ordine suo descripseramus. Et nos a Gauslino monasterium Sanctæ Justinæ dicimus ædificari; sed eo modo quo dicerentur ædificari monasteria Veronensium, Veicetinorum, Tarvisinorum, vel alia, post ruinas Ungaricas. Ut habetur in causa monasterii quoque Sancti Thomæ Regiensis. Id a nono usque seculo memorabatur apud veteres. Est autem *Teuzo* præsul anno MXXVII. conferens *abbatissæ Liuzæ basilicam in honore Sancti Thomæ apostoli ceptam*: sic habet. At Sigifredus anno MXXXVIII. præsul ait, *monacharum cœnobium noviter a prædecessore nostro bonæ memoriæ Teuzone episcopo ad omnipotentis dei, & Sancti Thomæ apostoli servitium reædificatum, olim ab infidelibus funditus destructum, ubi Liuza venerabilis abbatissa præesse videtur.* Ea quidem sibi pro-

po-

posuerat Muratorius, atque ea de monumentis habet; ex quibus ita denique professus est: *a Teuzone monasterium Sancti Thomae non*, inquit, *aedificatum, sed reaedificatum:* quae viri verba descripsi. *Ceptam* tamen a *se basilicam* Teuzo, nihil amplius, indicat instrumento suo, quod exhibebatur; id adverteramus. Igitur ea nunc observatio reliqua fuerit. Observamus haec. Apud Regienses in eo facto valere chartas alias ex aliis, ut una vel alteram suppleat, aut haec explicetur ab altera.

VII. De quo genere sunt etiam Patavinae scriptiones in hac parte. Nos, ut ii Regienses, habemus & chartas eas ex quibus utrique coenobio conciliatur antiquitas: habemus & eas ex quibus innotescit utriusque deinde loci calamitas; & hęc utrinque parabatur ab Ungaris: habemus eas ex quibus haec aut hęc instauratur ab utraque parte religionis aedes ac sedes: aliae quoque chartae sunt ex quibus aut ea molitio novi operis, aut aetas ejus & autor, aut alia constabant, ordine velut ac nota aliqua dierum atque operarum. Quae cum tot aderant utrobique momenta vetustatis, oportuit ex iis omnibus historias expendere nostri monasterii vel alieni. Quin & hoc etiam de Regiense factitatum fuisse patet: non enim de eo videbamus ante censeri, quam propositis aetatum priorum sequentiumque testimoniis. At de nostro satis existimatur unum aut alterum ex iis autoribus indicasse qui bono

scri-

ſcripſerant animo, nec ut adverſus obtrectatores . Excutiantur & ab hac parte noſtrates homines a primis initiis ad ævum Gauslini. Quandoquidem charta libelli regis Ildebrandi, ſcriptiones etiam vocabulo Gregorii quarti, teſtamentum Rorigi, donationes Opilionis occurrerant, ea multo ſtudioſius inſpici debuerunt, ac non pro vanis haberi, vel incertis; ut alias id egi. Prorſus ego addidi ex eo genere alia, quæ fruſtra non erunt. Hæ quidem, quas chartas forenſes dicimus: eæ ſic habebant. Alii præterea ſunt annalium ſcriptores, ii maxime qui peſſimis Ungaris indignabantur, & ex eo præſertim capite quo noſtris his animadverſionibus acceſſio fieret. Igitur hi narratores omnibus modis barbaricam loci vaſtitatem deplorabant; & hęc hiſtorię pars, adeo, præclaris teſtibus autoritatem fert.

VIII. Rurſus & hæc fuerunt de documentis domeſticis. Ab externis enim fiebant eæ quoque ſignificationes: ut hæc provincia ſeculis iis haberet ab omni parte ſervos dei monachos: ut a maris extremis ad oppoſitos terminos ea Marchiæ noſtrę facies occuparetur hominum religioſorum ſeptis; ut nullus iis vacuus erat populus; ipſique Venetici, qua littoris oram contingerent; non Tarviſini, Vicentini, Veronenſes: ex quo, poſt probationes eas quas hactenus adhibueramus, hoc a ratione procul eſſe videbatur, ejuſmodi clauſtra ſanctitatis apud unam hanc urbem nolle vetuſtis ætatibus. Hæ nunc obſervationes a noſtris & ab externis ad-

mo-

monebant, ut antistitum Gauslini, Burchardi, vel Oudelrici sententias exciperemus. Ii memorant *ecclesiam pene destructam*, *locum desolatum*: narrant *ædificari cœnobium*, *construi*: sic eorum continent epistolæ decretales. Quæ qualescumque propositiones erant, eo tamen ex alia parte nos adigunt institutum seculi, mos etiam regionis, & historiarum series, instrumentorum vis, & sensus antiquitatis & omnis autoritas, ut intelligamus in iis ecclesiæ ruinis esse monasterii ruinas: atque eo loco diu sanctuarium cœnobiumque stetisse; nunc unum & alterum jacere; denique post clades eas utrumque restitui.

IX. Scilicet ea Justinæ Virginis ædificatur ædes, & ædificatur ea religiosorum virorum domus. Quæ si velis alio tu vocabulo tradere, dicas eam atque eam reædificari. Sed hęc ita distinguere necesse nec est, aut eo modo barbari nostri solebant: immo basilicam vocare quæ monasterium fuit; immo, quod ii cœnobium reædificabant, id inceptum tunc dicere: quę de Regiensibus ante suspectabamus. Alias autem formulas habuerunt: ut monasterium dicerent ii facere, quod extructum per alios erat; ut dicerent monasterium facere, quia nonnihil augebant, & opibus aliquibus aut operibus amplificabant: & alia recurrunt iis seculis ex quibus apparebat, apud homines eos quo magis agendi pietas erat eo loquendi licentiam sæpe venire. De Camaldulensibus hæc annalibus habeo, quæ repetamus. Anno non-

gen-

gentesimo sexagesimo primo Vangaticiensis abbas aliquis obtinet; is nomine Martinus, is monasterii sui titulo prædium recipit, is litteras ab regibus Italicis: hoc itaque primum videmus. Anno deinde nongentesimo nonagesimo tertio Vangaticiensis abbas Martinus ab Ugone marchione domos & agros acquirit ad *monasterium* suum *faciendum & construendum*, *seu ædificandum*, *& regulam ibi secundum doctrinam beati Benedicti abbatis tenendum:* quod alterum apparet. Ugo igitur id monasterium jubet ædificari, construi, fieri, quod ante triginta duos annos erat ædificatum, constructum, factum. Sic ea tamen instrumenta duo sunt. Anno præterea millesimo quadragesimo octavo Rolandus instituerat; *oratorium sancti Salvi amodo & deinceps fiat monasterium monachorum ordinis Sancti Benedicti*: quod expeditum brevi fuit. Anno vero millesimo octuagesimo septimo *Martinus* aliique plures homines *Oratorium Sancti Salvii* concedunt, *ut deinceps fiat monasterium secundum Ordinem Sancti Benedicti*. Volunt hi quoque donatores institui monasterium quod ante plures annos instituerant alii. Inter has ergo difficultates, & ut hæ sibi chartæ constarent, quoniam sibi constare debent, adhibuerunt interpretes antiquitatis observationes eas, quas deinde viri Camaldulenses altius attollebant: *& scimus*, inquiunt, *formulam illam; Ad monasterium ibidem faciendum; usurpari consuetam fuisse bis seculis a donatoribus qui ecclesias vel monasteria jam erecta suis oblationibus*

locu-

locupletabant pro eorumdem conservatione : quod animadvertit etiam. V. Cl. Soldanius. Adeo levis erat ea vox inter ædificandum reædificandumque, de qua momentum fieri posset, ut existimabatur, adversus omnes eas rationes quæ monasterium Patavinum longis ætatibus ante Gauslinum tenebant.

X. De Veicetinis finitimis nostris id ad ultimum posui. Monasterium Sancti Felicis antiquissimi temporis Ungari subverterant, ut ante diximus. Anno nongentesimo septuagesimo septimo pontifex Rodulfus hoc ait *cenobium penitus omni monastico cultu & divino officio destitutum se restaurare* se *redintegrare* decrevisse: *præterea* suffragiis *& electione fidelium suorum clericorum & laicorum ibidem constituit abbatem Iohannem, cui concessit omnia* quæ videbantur *ad prefatam abbatiam pertinere*. Sed anno millesimo tertiodecimo pontifex alius *Jeronimus* hoc *cenobium reperit* omnino *destitutum : & ne sanctus ejusdem absque divino foret officio locus, constituit inibi Dominicum abbatem & monachos : concessit* autem *eis* quæ se dixerat concessisse Rodulfus. Anno millesimo trigesimo tertio pontifex alius *Aystulfus* hoc *cenobium fere destitutum & desolatum omni monastico cultu & divino officio invenit*; adeoque *restaurare* seu *redintegrare decrevit*. *Præterea* votis & *electione suorum fidelium clericorum atque laicorum ibidem constituit abbatem Domnum Iohannem, cui concessit omnia que* Rodulfus, & Hieronymus asseruerant se

 con-

concessisse. Rodulfus, Hieronymus, Aystulfus omnes eodem pacto rem diversi temporis habent: omnes eum locum destructum videbant, reædificabant, dotabant. Si chartas antiquiores haberemus, alii pontifices, puto, destruerent, reædificarent, dotarent. Nam quo mirandum magis iis instrumentorum formulis: etiam sancti Petri cœnobium Veicetini præsules quoties ea tempestate commendant, toties inducunt eo præfationes Aystulfi, Hieronymi, Rodulfi. Quid si chartæ nobis hujus ordinis ante Gauslinum præsto fierent? Ii quoque pontifices orationi suæ principium facerent a locis communibus: ædem sedemque Justinæ dirutas inclamarent, eas a se reparari dicerent, a se præsertim locupletatas.

XI. Anno tamen eo nongentesimo septuagesimo primo Gauslinus hoc iterum ædificabat, instaurabat, a ruinis eum locum redintegrabat. Habuit additum & hospitale, quod anno octingentesimo septuagesimo quarto Rorigus excitaverat: ac de ea re monumentum superest *actum in cœnobio Sanctæ Justinæ*. Hoc etiam hospitale bellis & incendiis exciderat; effugatisque religiosis hominibus, *erat ibi* nemo, *qui* vel *alicui diceret aut aliquam susceptionem hospitibus aut pauperibus* instrueret. Hi monachi, dum casus eorum finerent, usu autem seculi sui, tenuerunt hospitale monasteriumque diu, post ab utroque dejecti nunc ea demum recuperabant.

XII. Est & alterum quod indicavere vetusti narratores; &

hoc

hoc antea videbamus: *exusto monasterio*, inquiunt, *abductis* autem *sanctimonialibus que illic in diebus illis deo deserviebant*. Alii præterea scriptores attingunt aliquid undecimo quidem seculo: velut iis tempestatibus apud hanc ædem sexus uterque maneret habitu cultuque religionis. Accedit institutum hospitalis: eo mares ac fœminas ex aliis partibus accurrere juxta censebamus: & abbas utrumque locum spectabat hospitale monasteriumque simul: adeo videbatur habere debuisse ministros ac ministras, utriusque generis corporibus curandis. Ita ædes alia sub montibus Euganeis olim vocabulo *Sancti Elisei*, deinde Sanctæ Helenæ, quæ Domus existimari poterat unum de minoribus apud nos hospitalibus, habuit custodes promiscui sexus, & erant *ibi Talia* fœmina *cum viro suo Gislero*. Nam scriptum id post ea Sanctæ Justinę primum de Patavinis in hoc ordine censetur anno millesimo centesimoque quinquagesimo sexto. Quibus, ut videtur, annis Patavinus eam pontifex *priori hospitalis Sancti Prosdocimi de Dobladino regulam tradidit. Prior & fratres atque sorores ipsius hospitalis viginti quatuor Pater noster & duodecim Venias ad Matutinum decantent; & duodecim Pater noster & septem Venias pro quacumque de aliis horis*. Et anno alio millesimo C. sexagesimo secundo Monsilicani mei fundaverunt *hospitale in cibis & potibus & refectionibus pauperum*; id autem instinctu *religiosorum hominum ac mulierum*, *causa* vero *charitatis*; *in necessi-*

tatibus, inquam, *pauperum & etiam aliorum Cristianorum hinc inde transeuntium.*

XIII. Quas etiam causas aut alias ut interim suspendamus, aliquid habeo tamen hac in re majoribus argumentis antiquitatis, ut hæc intendi parumper oporteat. Nam de monasteriis antiquis, ut eodem tecto masculos ac fœminas ad servitium dei continerent, hæc historiæ pars eruditos homines amplius afficit in dies. Post meas quidem curas amici maxime nostrates in has observationes acrius incitabantur; ut præteritis quoque mensibus a Veneto viro libellus & ederetur, & inscriberetur is mihi. Patuit eo quam vigeret hæc sexuum communitas in iis admodum locis ubi nemo sperabat; & est in monasterio Sancti Georgii majoris; id autem seculo XIII. Quod ego vestigium sequens inter eas tabularii chartas altius evadere potui; dum vel anno millesimo C. septuagesimo *Gardesana domno Dominico monacho & Diacono Sancti Yeorgii, do tibi*, inquit, *& per te ipsi monasterio omnia mea bona mobilia & inmobilia seseque movencia, una cum mea persona, que habere visa sum in finibus Saci: predictas res tibi domno Dominico & per te predicto monasterio, una cum mea persona, do cedo confero. Signum predicte Gardesane que cartam fieri rogavit, & se & sua deo dedicavit.* Ut has formulas novimus ingrediendæ religionis. Ac se mihi simul objiciebat ex archivo Castellano Venetiis *Auliverus* apud Sancti *Ci-*

pria-

priani monasterium *conversus* adhuc anno MCCXVIII. sed ante *vigintiquinque* plus annos ait videre se *monachos & monachas & conversos morari in dicto monasterio*. Quę *Malfatus* item *conversus* enarrabat, *a viginti duobus annis & plus: & monasterium habet monachos, & conversos; & multi sunt*, inquit; *& multe converse & monache*. Post, erant in urbe Venetiis etiam Fratres Sancti Salvatoris accipientes aliquem fundum piorum dono, simul ea conditione, receptarent in sua Canonica Mabiliam fœminam inter alias sorores, eique victum ut aliis ministrarent. Hinc enim ex eo chartario monumentum est. Quæ cum se proxime darent, & se mihi velut uno tempore darent ex alienis exemplis, ut ea diligentius advertere cœpi; quamvis ego tot ante de nostris, alii de suis hac illac invexeramus; id intellexi, morem societatis ejus in his viciniis, ultra quam quisquam nostrum crederet, invaluisse per ætates etiam vetustiores.

XIV. De monasterio autem Sancti Zachariæ partium earumdem quædam mihi ante hoc tempus excerpseram brevia, quæ præsertim tenerent etiam de nostratibus historiis. Ita conversos in eo loco primos animadverti; Gerardum scilicet anno millesimo C. octuagesimo quinto; Johannem de Mestre millesimo C. septuagesimo sexto; Jambonum, Zanbonum, Johannembonum, sexagesimo, sexto, septuagesimo quarto, septuagesimo nono. Conversi monasteriorum, simul habita-

tores

tores erant: & conversi viri, monachique, conversæ fœminæ, monachæque grex unus habebantur & alebantur in domo Sancti Cypriani Venetiis, ut advertimus. Ordines hi quatuor unum quasi corpus effecerant in eo monasterio masculæ potestatis; ut apparet in hoc etiam loco fœmineæ ditionis. In hac enim æde Sancti Zachariæ ponimus & monachas eas, & conversas, & hos adeo conversos; hactenus ordines tres: quartus erant sacerdotes. Hi notantur anno millesimo centesimo LXIII. Sacerdos Bonifacius; idem centesimo sexagesimo tertio presbiter Bonifacius. Est anno eo quoque millesimo C. sexagesimo tertio Sacerdos Pancratius; anno millesimo C. sexagesimo tertio presbiter Pancratius: idem continenter anno millesimo C. quadragesimo octavo Pancracius usque millesimo C. septuagesimo; aut aliis. Anno præterea millesimo C. septuagesimo primo sacerdos erat ibi Johannes; & anno septuagesimo tertio Johannes ibi presbiter: anno millesimo C. septuagesimo quarto, deinde quinto, denique nono vel aliis idem sacerdos; ac presbiter idem Johannes. Ut conversos tres, habemus ex ea familia sacerdotes tres.

XIV. Atque ex actis S. Georgii *majoris* Venetiis observatus est ritus ut se fœminæ dicarent virorum sanctuariis, exemplo bono Gardesanæ quę fuit anno millesimo quidem centesimo septuagesimo. Nunc de Sancti Zachariæ monumentis extabit formula quum se viri domo sanctimonialium devoverent. Ita millesimo C.

se-

ſeptuageſimo quinto *Johannes de Marmoſeto de loco Monteſilice offertor* obtulit & *peciam unam de terra cum vinea campum* quoque *unum de terra aratoria*, nonnullos *olivos: & ipſemet in manu ſacerdotis vice abbatiſſe promiſit obedienciam*. Joannes hic apud eas monachas ita cenſebitur, ut Gardeſana penes eos monachos: atque adeo quę ſe fœminæ ſancti Georgii viris, & qui ſe viri dedicavere ſancti Zachariæ fœminis, eodem tempore ſeque ſuaſque res offerebant: omnes militari more ſarcinas in agmine religionis habent. Id enim faciunt & ſacerdotes ad locum Sancti Zachariæ; quod abbatiſſa teſtatur; anno milleſimo C. ſexageſimo quarto; ſe recepiſſe priorem Iſpidæ, *presbiterum* quoque *Bonifacium ejuſdem canonice profeſſum, & eos cum ſervitore eorum tribus annis retinuiſſe dicebat: in quibus plura conſumpſiſſe, quam detulerant, fatebantur*. Ex eo tamen ortum diſſidium eſt; & abbatiſſam retinere ſibi presbiterum Bonifacium, retinere bona canonicæ prior Iſpidæ queritur. Eam controverſiam judices ita compoſuerunt. *Nos paupertatem illius prioris intuentes, & ſupradicti loci deſolationem, rogavimus abbatiſſam, ut univerſa mobilia que apud ſe habebat eidem priori redderet; & inſuper ſolidos centum veronenſium ſibi perſolveret*. Reddidit abbatiſſa, perſolvit. *Et jam dictus prior de omnibus finem fecit, & ſupraſcriptum Bonifacium ſervicio ſupraſcripti monaſterii dereliquid*. Si non id erat ędis Iſpidæ malum, ſua præsbytero Boni-

facio

facio dos apud Sanctum Zachariam manebat. De chartis iis habetur anno millesimo C. septuagesimo tertio puella nomine Perpetua, quæ vineas & agros offert Sancto Zacharię. De chartis Patavinę sedis occurrebat anno millesimo C. octuagesimo quinto Rolandinus olim filius Marchysini de Vicoaggeris offerens opes suas monasterio de Camposyon. De chartis etiam Veicetinis erant anno millesimo C. tricesimo Siligunda mater & filia Mactilda resignantes omnino villas suas ei monasterio Sancti Petri. Propositum religionis eas donationes extorsit. Ac de iis iterum aderit. In summam ritus is offerendi sui formulas & continet offerendi sua.

XVI. Locum perficiendi ritus ejus in his etiam chartis adspectabamus. Ut anno M. centesimo septuagesimo Gardesana viris Sancti Georgii se prorsus & sua devovens id actitabat apud nostros Saccenses *in Capite Vico in domo presbiteri Yonathæ*. Millesimo C. septuagesimo quinto Johannes de Marmoseto fœminis Sancti Zachariæ se suasque res tradens & obedientiam promittens, id agebat *in Montesilice sub porticu domus proprie monasterii*. Circiter anno millesimo CLX. se recepisse profitetur abbatissa prȩsbyterum Bonifacium cum bonis suis ad monasterii servitium: quæ res agi tamen extra claustrum videtur, & in Montesilice. Millesimo C. septuagesimo tertio Perpetua fœmina Sancto Zachariæ dedicatur, & *in manu* ponitur *abbatissæ:* quod *actum in Montesilice feliciter in domo propria*

jam

jam dicte abbatisse. Millesimo C. octuagesimo quinto Rolandinus de Vicoaggeris monasterium de Camposyon professus est *prope villam que dicitur Galera*, *sub roveris illius loci in districto Padue*. Millesimo centesimo tricesimo Siligunda mater, & filia Mactildula Sancto Petro Vincentino spondent: & *actum* id *in villa Rassaga; in casa habitacionis Litulfi de suprascripta villa filii quondam Aldardi*. Mares ac fœminæ, quotquot hic profitebantur, omnes votum religionis extra locum religionis emittunt.

XVII. At eorum votum alia simul amplectitur atque alia. Quippe Gardesana de se refert: *mea bona mobilia & inmobilia seseque movencia una cum mea persona predicto monasterio* rursus *una cum mea persona do cedo confero*. *Que se & sua deo dedicavit*. Alter est Johannes de Marmoseto, se cum bonis suis donans; *& ipsemet in manu sacerdotis*, *vice abbatisse promisit obedientiam*. Tertius est sacerdos Bonifacius ad Sanctum Zachariam cum bonis suis confugiens: ac suus olim dominus eum *servicio suprascripti monasterii dereliquit*. Quarta fuit puella vocabulo Perpetua; de qua pater ejus eam dedicans ait, *ibi & cum illo religioso cetu & sanctissimo loco ad dei servicium & omnium sanctorum permanere*, *& ad obedientiam dicte abbatisse omnibus diebus vitæ suæ decrevimus: ideo dono septem pecias de terra*. *Suam* vero *filiam in manu abbatisse obtulit*. Quintus erat Rolandinus de Vicoag-

geris: *& prior de camposyon, & ipse Rolandinus confessi & protestati sunt, ipsum Rolandinum nondum ingressum fore monasterium de Camposyon, neque se vel sua deo ibi adhuc optulisse: set ideo hoc facere, quia ibi se volebat amonachari, & deo reddere*. Sexto loco notabantur eę fœminæ duę Siligunda mater & filia Matildis: *dederunt in finibus villæ Rassagæ mansos septem, cum Capella, & advocatione ejusdem Capellæ, & marigentia, & omnibus utilitatibus. Ideoque & ipsa Siligunda, & idem Litulfus suprascriptam Siligundam jugalem se ipsam cum filiola sua Mactildula obtulerunt advocatori monasterii Sancti Petri ad monachicum habitum, & ad serviendum deo, & suprascripto monasterio quousque ipsa & filiola vixerint*.

XVIII. Quibus in chartis oblationem sui primo videas, obedientiam deinde, servitium tertio, quarto perpetuitatem propositi, quinto monachicum quoque nomen, & habitum ultimo. Sic enim sex eæ pergamenæ conlocatæ fuerant. Et ex iis alię paria ferebant aliis; ex quo simul illustrabantur: omnes autem alia aliam explent; eęque sex unam faciunt. Hoc itaque votum virorum fœminarumque fuit, de quo dicebamus. Hę formulæ quas exhibuimus aut longiores, aut breviores idem continent, atque eodem sententias aliam post aliam trahunt. Harum professionum velut gradibus, quod laureatos nostros mos amat dicere, collegium tenebant ea tempestate viri fœminarum, fœmi-

nę virorum. Sed ego de Conversis initio proponens in alios ordines abii. Quod etiam patior. Hunc enim distinguere prorsus ab aliis omnibus hac in parte non sinebant ambiguæ multæ voces. Et alia magis erat causa: quod hunc a ceteris ita distinguere non ex hoc capite prorsus erat necesse. Venerint, ut volunt, omnes iisdem conditionibus, aut modis; maxime cum videantur omnes agere post iisdem conditionibus & pactis..

XIX. Quod nunc instat. De Gerardo Sancti Zachariæ converso notatum fuerat initio disputationis. At M.C. septuagesimo quarto *Gerardi* nomen apparebat, ut *missi sanctimonialium predicti monasterii*. De Zambono quoque converso multa ferebantur a nobis. At M.C. sexagesimo sexto locus est *misso ejusdem monasterii Zambono* simul *&* *converso*. Itaque conversi nostri titulos suos habent. Hunc sacerdotes etiam tulerunt. Et anno M.C. septuagesimo quinto commemoratur *ecclesia & monasterium sancti Zacharie* cum *misso suo Johanne sacerdote*. Nam millesimo centesimo LXX. sermo erat de *presbitero Pancracio misso abbatisse monasterii sancti Zacharie*. Scilicet hoc anno *presbiter* iterum *Pancracius* adest *rector & gubernator monasterii Sancti Zacharie missus in Montesilice ab abbatissa & a suis sororibus ad regendum res ipsius monasterii de eodem loco*. Quę simul ex chartis ante erant, anno M.C. sexagesimo; deinde centesimo sexagesimo secundo; tertium centesimo LX. quarto; *cui commis-*

ſum & juſſum eſt miniſtrare & regere monaſterii Sancti Zacharie predia & jura Montiſſilicis. Hoc itaque miniſterii genus apud miſſos eos fuit. Ac titulus is quidem ſacerdotes & converſos æquaverat.

XX. Pancracii ſacerdotis alius indicatus erat titulus; & hic *rector*; ut apparet eo documento. Ceterum Johannes alter ex iis ſacerdotibus idem *rector* eſt abbatiſſæ, monaſterii, eccleſiæ anno M.C. ſeptuageſimo primo, tertio, quinto, nono, reliquis. Age converſos: & ii vocabulum rectoris oſtentant. Anno MCLXXXV. *tibi Girardo converſo & rectori in monteſilice monaſterii Sancti Zacharie Venecie*. Rurſus anno MCLXXIV. *Zanbonus & converſus* eſt, *& rector*. In hoc igitur ii ſacerdotes iique converſi pares etiam ſunt. Alio præterea titulo cenſebantur ii ſacerdotes adverſus ædem Sancti Zachariæ. Quippe M.C. ſeptuageſimo nono dici videbam *Johanni presbitero miniſtro & rectori monaſterii & eccleſie Sancti Zacharie*. Qualis anno uſque MCLIIII. *Pancratius ſacerdos miniſter monaſterii Sancti Zacharie de Venecia*. Qui Johannes aliis idem annis & presbiter & miniſter: ac Pancratius annis aliis aliiſque presbiter & miniſter. Ex altera parte converſi noſtri ſe miniſtros appellabant: & habes anno *mill. cent. LXX. nono Zanbonum converſum miniſtrum ac cuſtodem monaſterii Sancti Zacharie Veneciarum*. Prorſus & hac appellatione valent idem ſacerdotes atque converſi. Miniſtrum Sancti Zachariæ Pancracium at-

que

que ordinatorem charta fert anno M.C. sexagesimo secundo. Ministrum deinde Sancti Zachariæ Pancracium & procuratorem charta dat anno M.C. quinquagesimo nono; semel, iterumque. Velut anno millesimo C. septuagesimo, quem vidimus, idem Pancracius est *rector, & gubernator monasterii Sancti Zacharie*. Videas & anno MCXLVIII. vocari *presbiterum Pancracium legatum Sancti Zacharie*. Denique communi vocabulo ministeriis iis omnibus anno MCLXIIII. declarari *presbiterum Pancracium ejusdem monasterii servitorem*. Videbamus & anno MCLXXIX. *Zambonum conversum* appellari *ministrum Sancti Zacharie*, præterea *custodem*. Quod & anno millesimo C. nonagesimo quarto; *Zanbonus custos domus Sancti Zacharie in Montesilice*. Quandoquidem conversi nostri sacerdotesque diversis officiorum similium vocibus alternabant. Ita sacerdos alius anno MCLXXIIII. Johannes aliam *dispensatoris abbatisse* notam sibi vendicat: eam quidem sibi Zambono quoque converso promiscuam tenet: ordo uterque *dispensatores & rectores abbatisse* vocabantur. Id infra conveniet.

XXI. Interim, quæ de monumentis iis aperiebamus hactenus, ea si diligenter attendimus, advertere nos faciunt, ordines duos alterum sacerdotes, alterum conversos intra monasterium Sancti Zacharię non ita distinguendos, ut nostris moribus: aut alios haberi tamquam dominos, alios ut servos. Ibi multum societa

tis

tis ab utraque parte, multum similitudinis; auctoritas in administrando par: & hinc aut hinc ingenuorum species erat: honestis in deo foeminis æquali sorte videbantur adesse. Nam de testimoniis eorum tenemus & alia quæ magis ac magis inclarescebant a superioribus observationibus. In primis anno MCLXXIIII. prædicantur eo modo *Johannes presbiter*, *&* *Zanbonus conversus socius & frater illius seu dispensatores & rectores abbatisse monasterii Sancti Zacharie situm Venecie*. Nunc eos & sacerdotes & conversos habemus, ut socios ac fratres: & hęc apud homines eos vocabula quantum valerent amplius agnoscimus, ex quo consuetudines eorum, quid essent, acrius inspicimus.

XXII. Anno M.C. sexagesimo sexto *Jambonum* lego *conversum & fratrem monasterii Sancti Zacharie*. Sed eo tamen anno alterum id indicium est: *trado monasterio & ecclesie Sancti Zacharie Venetie per misso & fratri ejusdem monasterii Jambono*; *pro misso suo Jambono & converso*: *accepi a jamdicto monasterio & abbatisse per misso & fratre suo Jambono*. Certe millesimo C. septuagesimo primo transigit *abbatissa cenobii Sancti Zacharie Veneciarum consilio fratris sui Johannis sacerdotis & rectoris*. Et anno C. septuagesimo quinto de *monasterio Sancti Zacharie cui venerabilis abbatissa* præest *pro misso & fratri suo Johanni sacerdoti sive rectori*. Millesimo autem C. septuagesimo stat ei *monasterio*, *domui*, *abbatisse*, *pro fratri & ministro suo*

Pan-

Panchracio. De quibus instrumentis etiam conversi contenderent esse fratres abbatissæ: nam sacerdotes hi duo manifestiores in eo sunt. At conversi, qui fratres erant sacerdotibus abbatissę fratribus, abbatissæ fratres esse debuerunt. Hoc igitur intueri convenit, anno MCLXX. qui fratres erant hi *monasterio & domui Sancti Zacharie, tam abbatisse, & suis fratribus, & sororibus*. Ex aliis enim scriptis aliquid habetur evidens: anno MCLXIII. mense Januario, *abbatissa per consensum & consilium habitum a suis sororibus, & fratribus, scilicet a Tenda prioressa, atque Dunichana, Gibelina, & aliis monachabus; & a Pancracio, & Bonifacio sacerdotibus:* hoc item anno, *mense Februario, abbatissa monasterii Sancti Zacharie de Venecia consensu suorum confratrum, Pancracii & Bonifacii presbiteri, seu sororum, scilicet Tenda prioressa, Agistrata, & Dulichana, & aliarum*. Memini cum dicebamus, in domo Sancti Salvatoris Venetiis habitare sorores apud eos fratres: in hac autem ęde Sancti Zachariæ dicuntur eodem vocabulo, Fratres, habitare causa religionis apud sorores.

XXIII. Ita collegium S. Zachariæ Venetiarum descripsimus: eam vero descriptionem prosequebamur opportunis ab uno sacrario tot instrumentis: & hoc etiam quæstioni, quæ tractabatur admodum conveniens erat, expositis eorum simul hominum casibus atque muneribus. Additi viri fœminis, & additæ fœminæ viris eodem claustro, altera pars alteri bona fuit: cultum dei,

mo-

mores honeſtos, domeſticas opes invicem curabant: fœminę viris, & viri fœminis uno loco, fraterna velut æqualitate cenſeri; non tam ſacerdotes, eo quippe gradu; ſed hi quoque converſi, nunc indecoro nomine: tum videntur his, ut iis omnia, præter honorem ſacerdotii, communia: ceterum ordo uterque, miſſi, rectores aut gubernatores, & miniſtri, legati, cuſtodes, honeſtaque ſignificatione ſervitores, procuratores, ordinatores, diſpenſatores, immo ſocii, fratres abbatiſſæ, monaſterii, ſororum: fratres earum ſororum ſtudiis intendere: viri fœminæ ſimul uno conſilio, voto, conſenſu negotia communitatis adminiſtrabant.

XXIV. Hi quoque fratres, & qui negotioſiores habebantur inter eos, hominum talium ſolito, vagantes erant, atque extra monaſterii lares; alii finibus regundis impoſiti, multos annos obtinebant. Pancracius anno M.C. quadrageſimo octavo, quinquageſimo quarto, ſeptimo, octavo agitat in monteſilicis; anno alio in Calaone; C. ſexageſimo quarto Venetiis, & C. ſeptuageſimo: atq; anno hoc etiam Patavii; ut centeſimo quoque ſexageſimo nono: aliis iterum annis in Monteſilice. Pręsbyter etiam Bonifacius anno M.C. ſexageſimo tertio notatur in Monteſilice. Johannes & ſacerdos anno C. ſeptuageſimo primo, tertio, quarto, quinto, nono prorſus in Monteſilice fuit. De converſis. Anno milleſimo C. ſeptuageſimo quarto Girardus in urbe Patavii: milleſimo C. octuageſimo quinto manet

in

in Montesilicis. Alter est Johannes de Mestre commorans anno M.C. septuagesimo sexto Patavii. Tertius anno MCLXVI. Jambonus in Montesilicis; anno C. septuagesimo primo Venetiis; aliis annis aliisque Montemsilicis habet. Quo vocat necessitas, eo se transferunt officiales. Id ex eo quidem seculo fuit; ex nostro quoque est.

XXV. At non erat id ex nostro quod eæ passim chartæ designabant. Abbatissa monasterii Sancti Zachariæ vagatur iis ætatibus extra monasterium, procul a Veneto ducatu, nonnumquam sedens in prædiis suis Monsilicanis; ibi res, hominesque monasterii componens. Id anno M. centesimo LVII. spectaculum fuit: abbatissa cum sororibus suis ad *villanaticum supradictos villanos investivit:* actum *in jam dicto loco* Montissilicis. Eadem spectabatur in Montesilicis anno C. sexagesimo secundo. Præterea C. sexagesimo tertio mense Januario *abbatissa cum suis sororibus*, *Tenda prioressa*, *Dunichana*, *Gibelina*, *Praxina*, *Agistrata*, *Mariota*, *Richelda*, *Merenciana ;* cum *suis fratribus Pancratio*, *Bonifacio sacerdotibus* : atque eo iterum anno, mense *februario abbatissa* consortio *suorum confratrum Pancratii*, *Bonifacii presbiteri ; seu sororum scilicet Tenda prioressa*, *Agistrata*, *Dulichana*, *aliarum* : scilicet ea sanctorum sanctarumque cohors extra Sanctuarium longis itineribus intenderant. Anno rursus eo, ac mense Octobris ab *abbatissa* nostra suisque fratribus

& ſororibus *actum in Monteſilice feliciter* . Anno quidem C. ſeptuageſimo primo vivitur in Monteſilicis; anno C. ſeptuageſimo tertio, *actum in Monteſilice feliciter, in domo propria jam dicte abbatiſſe ubi jamdictus Menaboi de jam dicta terra & vinea & olivis jam dictam abbatiſſam inveſtivit , & jamdictam ſuam filiam in manu ſua obtulit*. Anno denique mill.C. nonageſimo nono, *dna Calandra monaſterii Sancti Zacharie abbatiſſa , preſentibus & aſſentientibus dna Soliſmerra, & dna Agnete, & dna Valuina ejus ſororibus inveſtivit Stephanum de Sartore. Actum ad domum Sancti Zacharie in Monteſilice*. Qui ſacerdotes & converſos ita mirabatur ut errantes & a monaſterio ſuo vagos , amplius abbatiſſam loci ſpectet eaſque ſorores clauſtris egreſſas atque eo more palantes alienis oris ac provinciis. Nam ſede mutata nec eum ſaltem modum ſervabant, ut alibi ſedem tenerent : at diu noctuque per colonorum ſuorum domos etiam devolvebantur. Eorum quippe libellis apponebant eas pactiones : ut anno milleſimo CLX. *& ſi opus fuerit pro abbatiſſa , vel forte per hoſpites , debent accommodare unum lectum* : vel anno milleſimo CLXII. *comodare debeant eis lectum aventu abatiſſe , vel avocatoris , vel ſuccurentia hoſpitum ; aut proprie domum preparare ſi habebunt*. Sic abbatiſſæ recipi amant, ut quivis alius apud ſuos ruſticos , Et habeo teſtes ab alia parte ferentes ea circiter anno MCL. *quod abbatiſſa venit*

Stra-

Stradam, *&* *albergavit ad domum meam*, *&* *jacuit*. Alius ex iis hominibus hæc etiam dictabat: *abbatisse de Mognano veniebant Stradam*; *quod erant recepte bene*: *&* *erant domine de suo*. Exscripseram hæc de Molgnanis ad templum maximum Patavinorum.

XXVI. Sed eo jam venimus explicationibus his nostris, ut claustrales virgines eo quidem tempore multum publicæ lucis haurirent; in hominum frequentia versantes, ut matronę graves, ita degebant: & fœminę masculis, & mares fœminis eodem contubernio jungebantur. Is omnino convictus erat sanctorum dei servorum servarumque, qualem populus aliquando maledictis proscinderet: ex eoque genere ferebantur hi versus duo Nigelli poetæ procacis: ita ait.

Quę pastoralis baculi dotatur honore,
Illa quidem melius fertiliusque parit.

Hęc erat autem ex Ultramontanis. Et alias in iis partibus exeuntes e monasterio sorores, ac nostrarum more pergentes in villas suas etiam petulans vulgus insectabatur, ut habent Chronica Montis Sereni: *consueto laicis more loquentes dicebant*, *moniales illas a monachis stupratas esse*, *quibus jam pariendi tempus instaret*. Apud urbem quoque nostram ultimis adhuc ætatibus, annoque millesimo CCC. octuagesimo octavo monasterium duravit, *in quo simul habitaverunt usque ad tempus presens mares & femine*, *monachi videlicet & monache*, *rectum & gubernatum hactenus per*

priorem, quamvis essent in eodem plures moniales, & quedam nomine & sine jurisdictione seu potestate aliqua abbatissa; & ita duplex fuerat usque ad tempus presens: ex qua duplicitate communione, & cohabitatione sepe fuit populo scandalum & offendiculum generatum, tum propter periculosam sexuum commistionem, tum etiam propter prioris cum monialibus inhonestam conversationem, & maxime anno presenti per prolis de moniali dicti monasterii & in dicto monasterio notoriam & manifestam susceptionem: tum denique *propter prioris & priorum mala & inhonesta regimina, cum concubina & concubinis in dicto monasterio habitacione continua*. Quod habetur ex autographis hic in archivo S. Georgii noſtratis.

XXVII. Hæc ante ſuſpendi cum dabam libellum meum de Sancti Petri Canoniſſis. Quæ tamen eo tempore vulgaveram ſatis exiſtimata ſunt argumento quod inſtabat: eo modo Muratorius aliique judicant; ut editis eorum teſtimoniis apparet. Aliqui nondum credunt, & adverſi moverunt, ut Camaldulenſes. Unum ex quibus audiebam poſtea teſtantem, ſe ſcripſiſſe coactos. Id autem puto: nam dicunt ii mihi. Deinde quod eos in aliis etiam video nonnihil opiniones hominum æſtimare vel autoritates: nec eorum pravum conſilium eſt, at hiſtoriæ damno. Præter amicos hos meos alii præterea dicebant aut ſcribebant; & ſibi verba jactabant. Ultimo veniunt aliqui Vero-

nen–

nenſes: in qua ſolebant urbe cenſeri capita civium præclaris ingeniis hiſtoriæ tractandæ. Tamen hi, quos attingo, cujuſcumque modi ſunt homines, habent apud ſe chartas nonnullas quæ tenuem parietem ponunt inter hæc ancillarum famulorumque dei tabernacula. Verum ex meis obſervationibus accipe qui modo parietes noſtri forent. Nec ego de factis noſtratibus aliena commentor.

XXVIII. Ea negotii facies apud nos erat. Adveniebant hæ fœminæ maris ac terrarum diſcrimine; ſedes & loca mutabant; antiſtita cum ſororibus: habebant & ſocios fratreſque ſuos: aliis hoſpitiis atque aliis excipiebantur, aut in caſtellis, aut in agris: ita mixtæ conſpicuæque mortalibus omnibus, ut mares omnes ſolent, ut aliæ fœminæ ſolent. In hoc itu redituque congreſſu atque conſpectu virili, credo, murus aberat: eo more multum anni tempus aſſueſcebant. Ex quo videntur in ſuum deinde monaſterium collectæ collectique fratres ac ſorores aliquid ex ea conſuetudine ſervare, nec ex opinionibus horum Veronenſium vivere. Tam familiariter agebant; in iis quos ſignificabam quidem locis; ut abbatiſſa frequens pareret, ut ſorores uterum continuo geſtarent, ut notoria prolis intra monaſterium ſuſceptio fieret; ex ea duplicitate, communione, cohabitacione, commixtione. Sic enim Patavini pontifices olim ſcripto publico declaraverunt. Hæc eram prçteriens in anteriore ſcripto meo; quod

edi-

edidi: ſimul avertens eos jocos a populari ſermone, quo tum tractatum fuit: inſuper exiſtimans indicio prodito ſatis eſſe curioſis, ut alia quærerent. Ideo Matthæium videre volentibus indicaveram: quod ineditum de meis erat, addidi, Veronamque tranſmiſi. Nec Matthæium legerunt, & adverſus eum ſcripſerunt; & inſtrumentum Patavinum corruperunt. Indociles ac falſarii non habent ſenſum noſtræ artis; impudentiam vero ſuam pro victoria quadam celebrant: audent & annales eos ornatiſſimę civitatis, ingens opus & grave doctis & probis.

XXIX. Huc ego decurri ſcribendo quo non initio propoſueram, vel admodum videbatur oportere. Nam de Sancti Zachariæ monaſterio tantum placebat hoc obtinere, maſculos ac fœminas ibi commorantes: id autem fieret appoſito ſeu depoſito pariete, parum intererat. Alia nos inter has inquiſitiones obſervatio potius excitabit; in hac æde, quemadmodum apparet ævo duodecimo, conſediſſe mares ac fœminas etiam ſeculis Ungaricis. Igitur anno DCCCCXCI. dux Veneticus Tribunus *infirmitate confectus monachus ordinatus eſt in monaſterio Sancti Zachariæ:* quæ Dandulus aſſeruit. Et fides additur ei de memoriis a me quoque propoſitis hactenus. Hæc itaque domus habet viros apud fœminas iis circiter annis cum Sanctæ Juſtinę locus habuit fœminas apud viros; ut noſtri putant.

XXX.

XXX. Ac mihi dum librum de Canonissis instruerem, satis erat exhibere posteriores ætates ævo tertiodecimo, quarto quoque decimo; quę tunc argumenti conditio ferebat. Aliquid ultra vix ego promovi; quamquam de vetustioribus haberetur: at ut supervacaneum dimisi. De monasterio autem Sancti Petri, quod amplior opportunitas erat, indicatus est anno millesimo C. octuagesimo septimo *Petrus converso*. Qui fuit anno pariter octuagesimo nono *die XIIII. Julii; actum Padue in prefacto monasterio; testes Petrus conversus*. Intra monasterium conversos habitare cum sororibus ante videbamus: hic unus ejus ordinis inter eas agit. Aliud est monasterium Sancti Stephani, de quo veniebat anno MCLXXX. *presbiter Goncius ejusdem monasterii amministrator*. Hoc enim munus officiumque non ex hodiernis institutis adspectandum fuerat. Antiquis moribus hi dispensatores ordinatores administratores, aut alia appellatione, quod observavimus, eo loco quo conversi manebant apud Sanctas dei famulas. Archivum Patavinum Sancti Mattiæ dat monasterium tertium, quod est de *Salarola; Beatissimæ Margaretæ Virginis & Martyris*: anno M. centesimo septuagesimo nono fundatur ab pontifice nostro Gerardo; traditur autem sanctimonialibus. Atque *episcopus qui tunc temporis fuerit, non debet dare rectorem illis dominabus, neque dare ullum hominem qui cum eis habitent, illis invitis, nec presbiterum, neque clericum,*

neque

neque ullum alium, nisi ad voluntatem earum. Sic eo loco statuitur. Adeo certum fuit ibi masculos ponere juxta foeminas, ut ea de re cum religionis antistite pacto conveniretur. Omnino foeminæ Salarolates apud se viros volunt; ac sibi placentes volunt. Habetur Ispidæ monasterium quod autore vetusto fertur in annos ævi duodecimi. Præterea Sancti Benedicti monasterium coepit anno MCXCV. de vulgatis annalibus. Horum utrumque dedit mares ac foeminas diverso tempore; cum se latius extendere chartæ coeperant: id autem alio post sæculo fit.

XXXI. At satis hic erat in promptu de tempestatibus iis a quibus ævum longius auspicaremur. Hoc enim video. Post ea quæ de promiscuis utriusque sexus habitaculis in antecedenti vulgavimus opere, quantum pertineret ævo decimoquarto, aut tertiodecimo; post hæc etiam quæ novum nunc studium comparaverat obvia seculo presertim duodecimo; post illustratas ex nostris ex finitimis populis harum successiones ætatum, rerumque vices; ex eo animus ingrediebatur in antiquiores aditus: & de factis adeo probatis in alias admodum probabiles inductiones ibat. Accedit autoritas undecimi quoque seculi. Nam de templo Sanctæ Justinæ proditur anno MLII. marmoreum sepulchrum, quod eum titulum haberet: *Hic est sepulta Felicitas illustris femina deo devota, sacro velamine dedicata que die noctuque in dei servitio persistens in celis suscepta est.*

Acto-

Actorum series omnis habetur in his bibliothecis, & bonis codicibus: immo prostat in hoc libro cum ceteris dissertationibus. Ergo reliquum est seculum decimum, de quo Patavinus historicus enarrabat, Ungaricis direptionibus abductas ab eo monasterio sanctimoniales. Autor hic prisca fide, principium seculi duodecimi tenebat; ut indicio suo coarguitur. Ab hac autem ratione momentum simul aliquod obveniebat æstimandæ quoque dignitatis historici nostri. Nam de Dandulo videmus, ejus in hac parte dictum valere; nec haberi pro falso quod ait, virum principem seculo decimo indutum monachum apud fœminas monachas; etsi narrator infimi temporis ad ea quæ parabantur in hoc ordine. Scriptor autem Patavinus ea de seculo decimo commemorans imminet iis ætatibus. Adde loci scrutatorem, atque adeo incolam; quod ædem Justinæ suę describens; *hanc*, ait, *basilicam nostro tempore vehemens terremotus quassatio funditus diruit: & aliam nos in locum ejus non bene consimilem substituere coegit*: anno post millesimo centesimo septimodecimo. Tandem res hęc omnis ab omni parte probabilitates eas obtinebat, ut appareat ex vero scriptorem Patavinum dixisse, tempore barbarico sanctimoniales fœminas habitare cum sanctis viris intra monasterium Sanctę Justinæ.

XXXII. Quam mansionem ideo virorum, sin & historici velint, etiam fœminarum, Gauslinus anno eo

nongentesimo septuagesimo primo, mense Februario, cum reædificaret, ædificaret, aut ædificare seu reædificare contenderet, eo convocabat optimates, eo pontifices urbis. Edicit in concione votum pietatis suæ; nam se de novo molimine cœlitus accepisse: rogabat autem omnes in hoc opus intenderent; id optimum factu fieri vellent atque juberent. Ita jusserunt ac voluerunt omnes: *unde sacerdotum, cleri, fidelium consensu, juvante deo, construximus cœnobium*. De Muratorio verba sunt ad chartam anno septingentesimo nonagesimo sexto; *adverte eorum temporum mores*, ait; *consentiente sacerdotio & clero nostro, nec non ecclesiæ ipsius populo*: differt. XLIII. Certe Patavini *clero cuncto populo, devote congregati* rem tantam stabiliverunt incremento atque decori urbis. Et Gauslinus *episcopus in dei nomine donamus & confirmamus ad monasterium Sancte Justine Virginis, & Prosdocimi confessoris, non multum longe a civitate Patavii ubi corpora sanctorum* jacent: in *primis ecclesiam Sancti Angeli prope suprascriptum monasterium, cum casis & massariciis, cum rebus que ibidem pertinent, cum quartis & decimis; cum loco qui dicitur Prato novo: & terras cum vineis ubi dicitur Rudena braido monachorum: & unum arcum in flumine Rodronis ad Pontemolinum: & ecclesiam sanctorum archangelorum que est constructa foris civitate Patavi in loco Vancip cum suis finibus: & terram que vocitur Senodo cum suis finibus; idest quartis & de-*

cimis:

cinis; ecclesiam Sancti Martini que est edificata in loco qui dicitur prope Montesilice cum casis & massariciis que ibidem pertinent; seu servis & ancillis qui in suprascripto Montesilice habitant: & curtem unam in loco Tribano cum suis casis & massariciis; cum quartis & decimis: seu in Pronomia; atque in Capitesilve; & in Aere; cum quartis & decimis: & curtem unam cum capella que est ædificata in honore Sancte Marie Virginis in loco ubi dicitur Maserata; cum casis, & massariciis, cum quartis & decimis, & omnibus rebus quæ ibidem pertinent: & totam decimam que est in comitatu Vicentino, loco ubi dicitur Mensione, cum capella ad honorem Sancti Galli, cum quartis & decimis, & aliis rebus: & ecclesiam ad honorem Sancti Georgii sitam loco Robolone cum terris & omnibus ibidem pertinentibus. Et totam decimam quam dare debent famuli Sancte Justine sive in montibus sive in vallibus. Hec omnia suprascripta volumus & confirmamus. Ait se donare sive confirmare, tamquam hæc antea monasterio data. Successores etiam præsules Ursus, Burchardus, Oudelricus, & Johannes, undecimo seculo, duodecimo, renovantes instrumentum Gauslini dare, donare, confirmare dixerunt: & hæc bona tradebant. Fuere tamen Romani pontifices etiam longis post ætatibus, ut de Tertio constat Alexandro, qui Gauslini pietatem concelebrarunt.

XXXIII. Id scriptum ejus in præsentia firmabant &

propria manu signabant fratres ejus archipræsbyter & sacerdotes aliique viri canonici Patavinę sedis.

Ego Martinus archipresbiter. Ego Johannes presbiter.
Ego Marinus presbiter. Ego Bonizo presbiter.
Ego Albericus presbiter. Ego Rochero presbiter.
Ego Dominicus presbiter. Ego Johannes presbiter.
Ego Rozo presbiter. Ego Redaldus presbiter.
Ego Johannes diaconus. Ego Andreas diaconus.

Alii veniunt homines ut testes; ex quibus unus est Liuprandus habens etiam titulum *Nobilissimi:* quales eo vocabulo dignitatis appellantur alii seculis iis.

XXXIV. In hoc instrumentum commentabatur eo modo Cavacius: *amplissima dona æque Gauslini liberalitatem, ac ea tempestate ditionem & opes insinuant ecclesiæ Patavinæ: neque enim universa hæc arbitror legata ex patrimonio Gauslini, præsertim quæ decimas & ecclesias habent. Sed eorum plura usurpato jure decimandi, & translatis jam ecclesiis a monachorum ditione desciverunt. Ingelberti abbatis veluti nudum nomen ex relatis tabulis habetur; ita res ab eo gestæ obscuræ sunt. Cogimur tamen illum spectatæ sanctitatis & prudentiæ virum existimare, qui antistitis, cleri, ac populi judicio præfectus fuerit novæ monachorum familiæ, quæ majori exemplo egeret. Vixit post reparatum cœnobium annos* &c.

CA-

CAPUT VII.

MXIV. Mense Februario.

ADest edictum Patavini præsulis Ursi pro monasterio S. Justinæ memorabile rerum nostrarum scriptoribus: in quo, vel errore vel arcano aliquo, notatur imperium cesaris Henrici die secundo Februarii, quod eo mense diebus ultimis esse cepit. Urso Patavinorum pontifex dedit & confirmavit ei monasterio S. Justinæ, S. Prosdocimi, S. Benedicti, pro *suprascripto imperatore nostro Henrico*, *pro ducibus*, *& claro populoque*; primum Sancti Angeli ecclesiam prope ipsum monasterium, cum casis, & massaritiis, cum loco qui dicitur Pratonovo. Tum terras cum vineis Rudena braido monachorum. Et molinos III. in fluvio Rodrone. Ecclesiam SS. Archangelorum foris civitate Patavii loco Vancio. Terram Senedo cum suis finibus, cum terratico, decimis. Ecclesiam S. Martini prope *pede* castro Montesilice cum casis & massariciis: & servis, ancillis in suprascripto Montesilicis. Unam cortem loco Tribiano cum casis & massariciis: & in Pronomia, Capitesilve, Aire. Cortem cum capella vocabulo Sanctæ Mariæ loco Maserada, casis, massariciis, & omnibus. Unam curtem comitatu Vicentino, loco Mansione, cum capella titulo S. Galli, quartis, & decimis. Æ-

dem

dem S. Georgii loco Robolone, cum terris & decimis. Demum decimam totam quam dare debent famuli Sanctæ Justinæ.

II. Si chartas Ursi Gauslinique præsulum compares, eædem fuerunt: æquam donationem cenobio Sanctæ Justinæ faciunt; ac verba fere communia sunt; nisi quæ fortasse descriptores aliquando vitiabant. Hic ea se tamen Urso dare scribit, incertum legentibus an primus ipse daret. Ac de formulis etiam diximus ad Gauslini tabulas; & alibi. Nunc Ursi chartam firmabat ipse pontifex Ursus; & Peractus archidiaconus; Anselmus, Leoncius, Sigo, Albertus, Johannes, Io, Leo, Bonizo, Silbo, Johannes alius omnes præsbyteri, Bonizo diaconus. Hi duodecim canonico ordine deprehenduntur hoc anno servientes ecclesiæ nostratium. Præter hos Eldinus ecclesie Patavine presbyter ac notarius hoc instrumentum condidit adsignavitque: factum in civitate Patavii in domo episcopali. Qua tempestate Johannes Abbas eam Sanctæ Justinæ familiam gubernabat. Abbates enim Joannes alii post alios habent id omne sæculum quod est undecimum.

CA-

CAPUT VIII.

MXXXIIII.

BUrchardi primum laudatur opus liberalitatis adversus monachos Patavinos. Ejus ea de re litteras indicat Cavacius, edidit ex parte Muratorius: atque earum sententia est. Gauslinum construxisse monasterium Sanctæ Justinæ, Gauslinum posuisse viros ibi religiosos & prçsidem dedisse, Gauslinum de bonis *episcopii* sui tantam donationem fecisse, quantam servi Dei pro suo victu satis haberent: quæ quibus omnia sint accipienda modis opportunius explicavimus. Addunt litteræ Burchardi: *post igitur Ursus episcopus, sicut multum vixerat, ita multum monasterium auxerat.* Hinc datos ab eo narrat & molinos quatuor in fluvio Rotrone; datam quoque ecclesiam sanctorum archangelorum in loco Vantio, terram Senodo cum suis finibus & terratico; terras & vineas de Pratonovo; vineas de Rudena; simul ecclesiam Sancti Martini prope Montemsilicem cum casis & massariciis & famulis qui ibi habitant; cum quartis & decimis: & massaricias de Tribano, de Pernomia, Capitesilve, Aire: curtem Mansionem in comitatu Vicentino cum capella S. Galli, cum rebus omnibus, & famulis, cum quartis & decimis. Hæc itaque Burchardus enumerabat ut ab Urso

quon-

quondam tradita: quæ tamen a Gauslino sunt omnia. Tantum præstat Ursi chartas & Gauslini conferre. Tum Burchardus ait se tamquam de suo dare ecclesiam Sancti Angeli cum decimis & quartis. Concessit insuper decimas de curte quę dicitur Mazerata; & quartis: decimas de Corniclaria, de Braida de palea, decimas de Casamurata, de Vicoleonis, de Carpeneto, de Robolone; simul & clausura. Quartas eas Patavinas ait se Muratorius intelligere non potuisse. Nostrates autem Sacerdotes earum se profitentur esse callidissimos; & alio nomine vocari quarantesimas, alio quartisia. Pontifices etiam sequentis ævi memoravere *quartas & decimas quas Gauslinus, & Brucardus episcopi antiquitus concesserant*; ut ex litteris Alexandri III. Hanc autem decreti paginam se fecisse Burchardus ait cum *laudatione* suorum *fidelium clericorum & laicorum*. Certe subscribit Eldinus archipresbiter, Ino presbiter, Io presbiter, Marinus presbiter, Bonizo presbiter, Albericus presbiter, Rokero presbiter, Dominicus presbiter, Joannes presbiter, Redaldo presbiter, Rozo presbiter, Joannes diaconus, Andreas diaconus. Apposueruntque manus Joannes scutiker, & Bernardus, & Adam; tres hi testes.

CA-

CAPUT IX.

ANno MLII. de inventione Sanctorum Juliani, Maximi, atque Innocentium. Habent hanc inventionem codices duo: nec alter ante trecentos annos, aut alius ante quadringentos. Autor autem narrationis antiquum se profitetur annis etiam septingentis: ait enim se præsentem fuisse cum ceteris inventioni sanctorum sanctarumque Dei. Nos ejus historiæ compendium damus ex Cavacio; nonnullis tamen in melius compositis; & additis iis, aut demptis, aut mutatis, ut ratio vetustatis esset in conspectu. Nam Cavacius eo ordine persequitur annales domesticos.

II. Ad Joannem abbatem redeo, quem ex serie successorum liquet ultra L. annos monachis prefuisse. Sed neque prorsus jucunda fuisset vita diuturnior, si eandem multa solatia & divina beneficia non oblectassent. Sanctorum reliquias longa oblivione ignoratas aspexit, Leonem pontificem maximum hujus nominis nonum cenobio excepit, & ab eodem donis quibusdam honestatus est. Interim *vir illustrissimus nomine Bernardus hujus episcopatus antistes erat*

Vir bonus, & rectus celesti dogmate fultus: amplissimum patrimonium in pauperum, & peregrinorum subsidium contulerat: idem ubique pravos hominum mores cohercere, afflictis prodesse, ecclesiarum reparationi ac piorum locorum extructioni insistere. Eun-

dem jejuniis, vigiliis, & orationibus frequentem scribit autor illorum temporum quotidie incruento sacrificio Domini Nostri Jesu Christi passionem recoluisse. Hujus labores æterna post obitum mercede compensandos etiam inter mortales voluit Deus spirituali solatio recreare.

III. Dormienti aliquando episcopo astitit senex, *veste alba*, heroicam majestatem ac dignitatem ultra hominum conditionem præseferens; asseruitque a Deo nuncium advenisse, ut quorumdam sanctorum corpora ex abditis locis eruerentur, quæ congrua veneratione recepta Patavinæ urbi præsidio forent, eamque diris olim subactam propriis meritis expiarent. Inde visus Episcopus cum eo in templum Sanctæ Justinæ descendisse, jubetur locum inspicere inter aram sanctæ Dei genitricis, & sepulchrum beati Prosdocimi, ubi latebant corpora Sancti Juliani ac trium Innocentum, quæ idem sæpe pietatis causa Hierosolymam profectus Patavium retulerat. Inde senis ductu prope fores Oratorii ad lævam edocetur recondita esse corpora Sancti Maximi Episcopi, & Felicitatis virginis: mox senis aspectus, ac quies abiit. Sensit ex ea Bernardus agi divinam rem, quæ ab ipso omnium bonorum auctore majoribus adhuc esset obsequiis expetenda.

IV. Itaque communicatis quæ per quietem aspexerat clericis ac populo, etiam sacrum jejunium indixit. *Indicto autem jejunio, pueri, puellæ, juvenes, senes*

per

per triduum perseverantes, cilicium induentes, hymnos & cantus spirituales psallentes & decantantes, & cum processionibus euntes deum deprecari non cessabant. Triduo exacto idem ad templum Sanctæ Justinæ frequens accessit, ubi Bernardus sacris operatus *ad locum divina visione monstratum venit; prosternens se in terram prolixius orabat*, atque Deum optimum maximum ad hæc sibi ac populo propitium deprecatus est. *Cumque complesset orationem accepto rastro*, indicata per quietem loca fodere cœpit: *& dum fodisset quasi pedes sex, reperit arcas marmoreas vitro clariores* uncis ferreis firmatas, ex quibus odor suavissimus oratorium suffudit: *& qui illic variis languoribus detenti aderant, sani effecti; & odoris refecti haustu Deum benedicere non cessabant.*

V. Arcæ apertæ sunt: *interea facta est intolerabilis lux per totam ecclesiam, ut nullus præ fulgore se perspicere valeret; & quasi per dimidium horæ spatium velut mortui facti in terram prostrati jacuerunt.* Splendore sublato *surrexit* Episcopus, *& facta oratione reliquias accepit: ad quorum capita lapides erant, quorum unusquisque suum titulum retinens ita continebat:* Hic requiescit Maximus Secundus a Prosdocimo episcopus, Qui Hujus Mundi Vitam Domino Tribuit Ut Sempiternam Habere Mereretur In Cælis. Alter vero sic retinebat: Hic Est Conditus Julianus Vir Christianissimus, Qui Cum Multis Vicibus a Sepulcro Domini

Reverſus Eſſet, Et Tandem Tres Innocentes Secum Detuliſſet, Perrexit Ad Chriſtum; Quapropter In Unum Collocati Hic Requieſcunt. Tertius ita profert: Hic Eſt Sepulta Felicitas Illuſtris Femina Deo Devota Sacro Velamine Dedicata Que die Noctuque In Dei Servitio Perſiſtens In Celis Suſcepta EST. Inſcriptiones uti eundem auctorem ſapiunt, ita eandem ætatem; nempe qua metu Barbarorum ſacra corpora abſconduntur. De B. Juliano præterea nihil apud nos eſt. Beatam Felicitatem ſcribit Ungarellus præfuiſſe monialibus cęnobii D. Juſtinæ. Sanctorum corpora decentius collocata tum multis miraculis coruſcarunt, & plerique cæci, ſurdi, debileſque leguntur in actis evaluiſſe; multi etiam a dæmonibus obſeſſi priſtinam quietem recepiſſe.

VI. Hæc igitur ex breviario Jacobi Cavacii; quæ ſupplevimus ex manuſcriptis iis duobus, ut diximus: adde tertium, ſed admodum recens: atque ea ſunt omnia de Patavinis tabulariis aut bibliothecis. Alia quæ ſupererant ex hac enarratione, parum diligenter habent hi noſtri. Nam credunt iis manuſcriptis in eo quod non convenit, non credunt in eo quod oportebat. Ungaricum papæ Leonis ajunt iter anno milleſimo quinquageſimo tertio: ſic acta ferunt: id autem credi non debuit. Ajunt etiam Leonem fuiſſe Patavii poſtquam iter Ungaricum expleverat: acta ſic adſcripſerunt; antequam ſuſciperet: atque id credi debuerat.

Omni-

Omnino series ea narrationis in hac parte. Verba manuscriptorum duorum seu trium damus.

VII. „ Interim vero dum hæc agerentur, accidit „ divina providente clementia, ut beatissimus papa „ Leo Romanæ sedis apostolicus per Pataviensem ci- „ vitatem in servicium Sancti Petri apostoli ad sub- „ jugandum non hostiliter videlicet, set illorum spon- „ te Ungaricum sibi regnum iter arriperet, a Bernar- „ do honorabiliter episcopo est susceptus. Et cum apud „ eum paterna dilectione per duos dies maneret, in- „ vitatus est ab eo ut in ecclesia Sancte Justine Vir- „ ginis, ubi corpora sanctorum venerabantur, sacra „ misteria populo celebraret, ac civitatem, quæ anti- „ quitus anathematis vinculo complexa dicebatur, san- „ ctificaret. Qui reverentissimis ejus precibus adquie- „ scens, collecta in unum multitudine clericorum, & „ laicorum scilicet totius circumjacentis episcopatus, „ missam devotissime celebravit in ecclesia Sancte Ju- „ stine, populum verbo vite in fide catholica confir- „ mavit, ac inventionem sanctorum canonizavit: ut „ qui a deo sunt electi, a populo fideliter debeant „ esse honorificati: civitatemque pristine benedictioni „ restituit. Unde concives & ceteri admodum gratu- „ lantes in laude & honore sanctorum, & beatissimi „ Leonis pape multimodas laudes omnipotenti Deo „ decantabant; qui civitatem & plebem Christianorum „ apostolica benedictione sublimavit. “

VIII.

VIII. Eo modo pars hæc actorum fuit: quæ mihi magno momento videbatur esse privatæ nostræ, simul historiæ publicæ. Præ ceteris accedit authoritas omni quoque scripturæ: quandoquidem structor ejus indicat se præsentem fuisse præclaris eorum temporum facinoribus, atque adeo consiliis; quale fuit Leonis de Pannonica profectione. Quippe Leonem profectum pontificem ad Pannonios, atque eo non sua, sed eorum *sponte* concessisse, quod historiæ nostræ ferebant, ad eos imperatori conciliandos a quo defecerant, hæc, inquam, omnia scripsit iisdem diebus Hermannus Contractus, iis autem verbis: *interim dominus Leo papa ab Andrea accitus Ungarico, cum pro pace componenda intervenisset, imperatorem ab obsidione avocavit*. Eo de negotio maxime commemorari solent alia Wiberti scriptoris in vitam Leonis. Ait de eo: *non modicus quoque ei inerat fervor in augenda Republica. Idcirco Hungariæ principes a Romano nuper imperio diffidentes multiplicibus legatis adierat ne detrectarent solita subjectione imperatori prisca persolvere tributa: quod & consenserant, si præteritorum commissorum eis concederetur indulgentia. Quapropter, sancta commonente pietate, coactus est tertio antiquam patriam repetere, & pro reorum miseratione, qui contra imperium moverant bellum, persuasoriis precibus imperiales aures expetere*. Sic igitur abibat, ut idem postea Wibertus exequitur, ut narravit Hermannus, ut historiæ nostræ composuerant.

rant.

rant. Adde prætorea Sigebertum iis proximum annis atque temporibus; ex quo similia constabant: *rex Hungarorum ab imperatore Henrico dissentit, pro quo reconciliando Leo papa ad imperatorem venit*. Alii sunt insequentis ævi collectores, ut Annalista Saxo qui sic exhibet; *imperator iterum Pannoniam petit, & inacte redit, habens in comitatu Leonem apostolicæ sedis præsulem:* tum chronica, quę S. Pantaleonis appellari solet, hæc eadem fert: *imperator iterum Pannoniam petit & inacte redit ducens secum Leonem apostolicæ sedis præsulem*. Sunt alii collectores, & alius ævi: monachus Albericus hæc eo modo tradit: *Henricus imperator denuo Pannonias hostiliter petens secum summum pontificem Leonem duxit:* atque Urspergensis hæc etiam recitat; *imperator iterum Pannoniam petit & inacte redit habens secum in comitatu Brunonem apostolicæ sedis præsulem*. Quin & hoc ea tempestate constabat, Halinardum archiepiscopum Lugdunensem fuisse tum Romæ relictum pro pontifice dum Leo pontifex *ad colloquium imperatoris, qui tum forte erat in finibus Ungariæ, properabat:* ut acta monasterii S. Benigni Divionensis insinuant in Acherianis. Ubi continentur & acta monasterii Senoniensis, & in iis hęc observatio: *domnus papa tertio priscam patriam pro discordia Pannonicæ gentis sedanda adiit*. Antiquior eo scriptor adest etiam Viterbiensis iis verbis: *imperator exercitum movet, Pannoniam hostiliter aggrediens, Leonem papam*

secum

ſecum adduxit; & Andream fugavit. Antiquior Otto quoque Friſingenſis: *anno ſequenti denuo Pannonias hoſtiliter petens ſummum Pontificem Leonem ſecum duxit*. Adeo certa per omnem vetuſtatem ſunt ea quæ de Leonis Ungarico itinere ſcripturę noſtræ poſuerunt: adeo Patavinus autor in ſuis enarrationibus obſervans ac diligens erat.

IX. Accedit & ſtilus ejus ac loquendi modus augendæ fidei narrationis. Ex Adamo quidem Kollario capite ſeptimo, octavo, nono juris Ungarici patronatus, habentur eæ formulæ quas hoc eodem ſeculo Romani pontifices adhibebant in Ungaricis negotiis. Nam *regnum Ungariæ* dicitur ab iis *Henricus imperator* his annis *ad honorem Sancti Petri* ſubegiſſe; *jus & honorem Sancti Petri beneficiumque* continere: *regnum Ungariæ ſubjici ſanctæ & univerſali matri Romanæ eccleſiæ: quatenus interceſſione Beati Petri in gloria & honore proficiat: ad reverentiam ſedi apoſtolicæ debitam*: *rex ad ſerviendum Beato Petro* jubetur eſſe *paratus & ad obediendum* Romanis. Ita pontifices ii ſe gerunt, eaſque voces uſurpant. Ex quo genere ſunt hæc eadem Patavini deſcriptoris, ut advertimus: *in ſervicium Sancti Petri apoſtoli ad ſubjugandum non hoſtiliter videlicet, ſed illorum ſponte Ungaricum ſibi regnum*: quæ videntur ut ex ore pontificis aſſeclarumque ejus iis diebus in Patavinum vulgus abire, ſtylo quoque excipi; qualia nunc habemus & exploravimus hactenus:

atque

atque eo magis authenticum ſcriptionum noſtrarum teſtimonium fiebat. Alia mox eorum bona quædam conſtabunt.

X. Interim de noſtris tractatoribus, ut propoſuimus, exequor. Hi Patavinis actis iis haud improbabilibus, ut ſpectavimus, annum tamen aſſentiunt milleſimum quinquageſimum tertium: ſed eum diximus annum falſo reputari. Dabant eum Patavinę quidem ſcriptiones aliis aliiſque probationibus authenticę probatęque: ſed hic annus eis credi non debuerat. Hoc uno falli convincuntur ii ſcriptores: aut amanuenſium vitium fuit: immo ſciolorum fraus: ut infra conſultabimus. Anno milleſimo quinquageſimo ſecundo, non autem tertio, peragitur a noſtratibus; eo ſcilicet anno quum Pontifex Leo proceſſit ad Ungaros. Iter autem Leonis Ungaricum fuit anno milleſimo quinquageſimo ſecundo: quod habent Hermannus, & Wibertus, & Annaliſta Saxo, Chronica S. Pantaleonis, & Sigebertus, & Albericus, & Urſpergenſis, & Senonienſis, & Viterbienſis, & Friſingenſis, & illuſtrator Alinardi; quos enumeravimus: aut quicquid eſt bonę vetuſtatis. Emendandi quippe fuerunt aliqui recentiores ea poſtponentes, aut anticipantes apud Hieronymum Pez, aut alios.

XI. Erit evidens hic ſecundus, & quinquageſimus annus ex alia quoque obſervatione quam propoſueramus, eamque domeſticis tractatoribus objecimus. Hi poſtquam ſcripturis Patavinis id quod erat falſum cre-

diderant, non credunt id quod verum fuit. Ajunt scripturæ nostræ Leonem fuisse Patavii dum pergeret ad Pannonios: ajunt hi tractatores eum fuisse Patavii, dum rediret a Pannoniis. Anno millesimo quinquagesimo secundo Pontifex Leo non redibat a Pannoniis, ergo non in eo reditu Patavii fuit. Immo Pontifex Leo numquam redibat a Pannoniis, ut ab ea parte rediens huc diverteret, aut dici possit huc divertere. Consulamus antiquitatem quæ magis his etiam patet temporibus, quam quum tractatores nostri talia comminiscebantur. Alinardum Lugdunensem dixi Romæ relictum pro pontifice dum Leo pontifex *ad colloquium imperatoris, qui tum forte erat in finibus Ungariæ, properabat:* eum propterea *jussit prædictus papa Romæ residere donec ipse rediret:* hæc ab historico verba fuerunt. Iis autem diebus Alinardus ad mensam veneno appetitur: iis diebus & discessit ab urbe Leo pontifex, & venenum sumpsit Alinardus: hoc etiam probabat ordo narrationis antiqui scriptoris. Alinardus absumpto veneno decessit *infra octo dies; obiit* autem *quarto Kal. augusti, anno millesimo quinquagesimo secundo*; sic Alinardi fata notantur. Ac Leo Roma digressus, in Ungariam tendens ad Patavinos accedit: hic aderat Leo pontifex quarto nonas augusti, primo, vel altero die mensis Augusti; quemadmodum constat ex actis. Ita conveniunt & dies Alinardi mortis, & Leonis ad nos vię. Quindecim iis fere diebus expeditum fuit inter

ur-

urbem Romam Pataviumque. Nec opportunior enumeratio, si vis, anni, mensium, dierum, locorum fuit ex utraque parte.

XII. Succedunt historiæ Venetę, qualescumque nobis hinc advenerint: eæ tamen asserunt asseruntque, nonum Leonem pontificem fuisse Venetiis. In anno maxime fallunt; ut ex Dandulo: *post hæc*, inquit, *idem pontifex ob singularem devotionem quam ad beatum Marcum gerebat, Venetias accedens a duce, & a civibus reverenter suscipitur, & ecclesiam intravit, & evangelistæ orationes & laudes exsolvit, ac ducatui & huic ecclesiæ & aliis piis locis indulgentias & immunitates indulsit*. Ut hæc etiam de MSS. Strotiano Bollandistæ notant: anno *millesimo quinquagesimo quarto* D. N. J. C. *indictione* VI. *decimatertia Kl. majas depositione exultemus beati patris nostri Leonis papæ* IX. *regnante Henrico imperatore filio Conradi imperatoris Romæ:* M*onomacho imperatore totius orbis; & regnante Dominico Contareno duce Venetiarum, & Dalmaticorum, nec non Dominico patriarcha in civitate Gradensis ecclesiæ Venetiæ ad laudem, beatus Leo papa pius ac mitis causa orationis ad sanctum Marcum apostolum, & evangelistam pervenit, & ibidem susceptus est*. Alii scriptores eadem commemorantes eadem ratione transversi sunt. Hi Muratorium quoque traxerunt in opiniones avias. At si tempus a facto discernitur, hæc omnis historicorum turba recentium vetustiorumque

ſuum teſtimonium fert. Error eſt in anno vel annis. Hi vero non pertinent ad factum, pertinent ad tempus. Ex hiſtoricis Venetis factum recipimus: ex hiſtoriis Patavinis tempus aſſignamus. Hoc modo Leonis ingreſſus in has partes alienis & aſſeritur autoribus; & non tantum domeſticis: alieni vero de nobis id aſſequuntur, ut memoriam tanti adventus & fidentius in faſtos ſuos ingerant, eamque probabiliore loco diſponant.

XIII. Poſt eos ergo dies habemus Ungarica facta: Leonem ſubeuntem, de pace tractantem, colloquia cum rege, cum cæſare: quæ ſimul omnia fruſtra fuerunt; aut regis Andreæ probro, quod Hermannus aſſerit; aut cæſaris Heinrici labe, quam Wibertus atque ex eo Sigebertus indicant. Ac documenta præterea ſunt alia quæ claudebant ab alia parte motus eos Leonis Ungaricos. Agit idem Ratisbonæ primis diebus Octobris. Atque eo, poſt Ungariam, venerat: nec ad nos redierat eo menſe, vel anno eo: nec is amplius ad nos rediit; ut prefati ſumus. Ignoravere noſtrates hiſtoriam ſeculi cum dicerent, Ungarico reditu Leonem Patavii fuiſſe. Nunc ea deſcribimus ex hiſtoriis Andreæ Ratiſponenſis: *hic Leo* IX. *anno domini* MLII. *ſui pontificatus anno quarto per inſtantiam ſereniſſimi imperatoris Henrici ad partes Germaniæ & præcipue ad noſtram urbem Ratiſponam ad venerabile corpus beati Wolfgangi hujus ſedis epiſcopi transferendum eſt evo-*

catus

catus quo ea qua decuit reverentia nonis octobris translatio in crastinum, hoc est VIII. *idus prædicti mensis ad preces imperatoris, & aliorum fidelium, nec non sanctitate & meritis beati Erhardi Ardinatensis episcopi corpus transtulit in monasterio inferiori. Sicque Sanctus Leo papa plurima urbis Ratisponæ loca perlustrans tandem rogatus a fidelibus basilicam super testudinem in bonore sanctorum apostolorum Simonis, & Judæ personaliter consecravit.* Ultimis diebus Octobris erat Bambergæ Leo pontifex, ut apparet ex litteris ejus ad Bambergenses: *cum*, inquit, *in partes Germaniæ venissemus, quæ orientali Franciæ adjacent, prece dilectissimi filii nostri Henrici secundi imperatoris & tertii regis, ac dilectissimi confratris nostri episcopi H. Babeberc venimus, & in die natali beati Lucæ evangelistæ inter missarum sollemnia dum verbum Dei haberemus ad populum.* Quæ cum postmodum scriptis suis edissereret idem Leo pontifex, apud villam Tribuariam proxime Rhenum fuit intra novembrem: quo mense locoque litteras adsignat eas suas. Ac decembri deinde mense manet *Wormaciæ Leo Apostolicus, & Henricus imperator*; atque ibi *natale Domini celebrabant:* hæc enim Annalista Saxo. Quæ monumenta vulgavit omnia Georgius Eccardus. Idem Annalista Saxo, pariter Urspergensis, & chronica S. Pantaleonis, & Wibertus, & Hermannus, aut alii scriptores, aut alia scripta Leonis eum trans alpes habuerant omnem hunc annum cum sequentis initiis.

XIV.

XIV. In Italiam demum fit reditus; at ex Germania, non ex Ungaria; nec augusto, verum februario mense; neque is ex via declinans Patavium, sed in rectam contendens; ut eam describunt Hermanni tabulæ millesimo quinquagesimo tertio: quippe *transiens per Alamanniam purificationem Sanctæ Mariæ Augustæ egit, Mantuæque quinquagesimam; & infra dies quadragesimæ Romam pervenit*. Hic ordo pontificiæ, quam dicunt, scalę per eos gradus; ab urbe Roma pertingens ad nos, ad Venetos, ad Ungaros, ad Germanos: ex iis autem regrediens ad Romanos suos: a Germanicis post menses fere sex rediens, non ab Ungaricis partibus. Hoc itinerarium Leonis edocent ergo Patavinæ scriptiones: & iis assentiunt acta seculi series antiquitatis.

XV. At Leonis habetur & bulla, quam vocant, in hoc archivo Casinatium: de qua superest exemplum præ ceteris, id autem continens annos etiam septingentos, aut quasi: verum ea commendatio magna quędam fuit. Hoc edicto pontifex ait, se Patavii sedere quarto nonas augusti: qui dies & Actorum signatur, & Patavina celebritate prępuus est. Addit ex eodem Pontifice Cavacius: *& ne minus videretur cœnobii rebus, ac Joannis dignitati consuluisse, cœnobium ipsum sub apostolicæ sedis patrocinium recipit; & Joanni abbati successoribusque concedit in sacris sollemnibus & supplicationibus uti posse mitra, chirothecis, dalmatica, &*

san-

sandaliis: hæc atque alia talia pontifex ait se dare Joanni cenobii antistiti: *salvo scilicet jure matris tuæ ecclesiæ Paduanæ. Quatinus precibus & meritis illius beatæ virginis, & martiris, cujus corpus in commisso tibi monasterio requiescit, pro cujus etiam honore ac dilectione tibi supradicta tradimus, adjuvari valeamus.*

XVI. Hæc autem bulla Leonis eo modo notatur, ut acta ferunt inventionis, anno millesimo quinquagesimo tertio. Nam fallere notam cognoscimus. Acta fallunt in hoc, & rescriptum pontificium fallit. In quo tamen adverti non eandem utrimque facti conditionem fore. Nam de scripturis aliis, quas hactenus examinavimus, errorem descriptoris ęstimare statim licebat, annum pro tertio secundum revocare licebat: id, inquam, facile videbatur in actis inventionis. At scriptum Leonis est aliis etiam significationibus. In primis obtenditur anno quinquagesimo tertio, deinde notatur & indictione sexta, rursus & anno quinto pontificatus: & adest hic mensis, & hic dies. Hæc omnia de Leonis edicto primum consentiunt sibi; tum respondent actis iis aliis: etsi tota demum pravitas annus is sit. Hic exoritur ea quæstio non adversus amanuensis imperitiam, sed alia gravior adversus falsarium. Quippe fallit & indoctus, at indocti more; si quid instat implicatius, hæret, aut errorem cito prodit. In hac autem designatione temporum consulto sunt omnia: partes omnes altera constat alteri: nec aliquid ibi negligen-

ter

ter appositum, vel aliqua nescientis hominis in hac parte suspicio est: ita conveniunt historicus & pontifex in assignandis anno, mense, die; quæ pręterea notæ respondent omnes, & anno quinto pontificatus; & respondent omnes indictioni sextę, qualis adscribitur: omnino suspectus in iis omnibus adnotator est, quia nunquam falsi convictus in iis omnibus. At si recurrunt ea, quæ primum de Leonis itinere dicta sunt, adjungantur autem iis quę de Leonis itinerario significata sunt, is profecto tertius & quinquagesimus annus admitti non debuit; etsi probatus indictione sua ceterisque notis. Immo subvertenda nunc omnia tam pulchre composita; prorsus is annus, eæque notæ sibi tam bene respondentes. Hæc infra distinguo.

XVII. Certum tamen est ex universis historicis historiisq; Leonem pontificem cum suo anno quinquagesimo tertio, cum sua indictione sexta, cum suo pontificatus anno quinto nec accessisse, nec ad has partes amplius accedere potuisse, postquam *quadragesimæ* diebus ad urbem *pervenit*; ut Hermannus edixerat. Hæc tertia pars moliminum sancti viri Leonis erit post iter ejus Ungaricum, post itinerarium ejus: ex iisque non tam facesset opinio, quam spes omnis anni quinquagesimi tertii de Patavinis enarrationibus & privilegiis. Hoc enim anno, mense junio, Leo pontifex adversus Nordmannos exercitum ductavit; inito prælio vincitur; ipse captus ab hostibus intra Beneventum concluditur: hic

in

in annum sequentem usque commoratus est: ut erant ea verba Mascovii. Sic annus & is abit. Ergo qui notas eas ad Epistolam Leonis extruxit architectus haud incallidus, hoc advertere nesciebat: enumerando tempori bonus, historiæ tractandæ malus autor est. Hac itaque ex parte fecit inscite: nec aptum fundamentum pulcherrimo suo artificio suppósuit.

XVIII. Habemus ex chronico Northmannico; *anno* MLIII. *Northmanni bellum gerunt cum Leone papa, & principe Beneventano, & Catapano imperiali in principatu Beneventi; & fugatur Rodulphus princeps; & Leo papa capitur ab Humphredo & Northmannis: & fit magna strages in mense junio.* Quæ tenemus & ex testimoniis Anonymi Stederburgensis, ac Lupi protospatæ, Romualdi Salernitani, Mariani Scoti. Leo pontifex eo anno, eo mense victus a Normannis & captus erat. Addit anonymus Barensis: *& venit ipse Leo papa cum Alamanni, & fecit prælium cum Normanni in Civitate; & cecidit: comprehenserunt illum & portaverunt Benevento, tamen cum honoribus.* Huic assentiunt historico Godefridus Viterbiensis, Otto Frisingensis, Anonymus Zuuetlensis. Ergo pontifex Leo victus est, & Beneventum perductus est. Habemus ex Augustensi chronico: anno MLIII. *exercitus a papa contra Nortmannos ductus ab ipsis victus, & trucidatus est: ipse vero Papa apud Beneventum demoratur.* Eo modo memorant Annalista Saxo, chronica S. Panta-

leonis, abbas Urspergensis. Ergo Leo pontifex & victus est, & Beneventum deportatus est, atque ibi commoratus est. Ex Wiberto etiam Leo pontifex *Beneventum veniens non modico illic anni spatio est commoratus*: & ex Brunone Signiense; pontifex *rediit Beneventum aliquanto tempore ibi commoratus*: & ex Hermanno Contracto *dominus papa* susceptus *ab eis*, *Beneventum*, *cum honore tamen*, *reductus est*, *ibique tempore aliquanto detentus*, *nec redire permissus*. Adeo nonnullum tempus apud Beneventum Leo pontifex egit: adeo more captivi degebat in iis partibus. Aut moræ causa fuit; *quia relaxari nollet*, *nisi suis etiam relaxatis*: ut Sigebertus, ut Albericus edocent. Habemus & hanc adnotationem Lamberti Schafnaburgensis; anno MLIII. *Leo papa profectus contra Nortmannos contulit cum eis prope Beneventum signa*, *&* *fugientibus statim in prima congressione Longobardis*, *Teutonici omnes pene ad unum interfecti sunt*. *Ipse quoque obsessus est in Benevento*, *&* *vix tandem post multas tribulationes obsidione liberatus est*. Is enim scribendi modus admonebat, eam sancti viri captivitatem, seu, quem Wibertus asserit *incolatum*, vel exilium junio cęptum continuari menses in alios aliosque. Cum præsertim tres habeamus ex indicatis autoribus Hermannum Contractum, Brunonem Signiensem, Wibertum, qui sic historiæ seriem deducunt, ut Leo pontifex ita victus a Nordmannis & captus a Nordmannis, ita du-

ctus

ctus ad Beneventanos & moratus apud Beneventanos, ab ea nunquam civitate recesserit, quam peracto penitus anno eo millesimo quinquagesimo tertio, quam cępto quoque millesimo quinquagesimo quarto, quum Romam rediit paucos ante mortem dies. Id omnino constabit ex horum scriptorum lectione: qui longiores aliquantulum sunt in eo capite narrationis; at faciles inspiciendo sunt. Hi propterea sibi constabunt; & assentient historicis aliis, qui Leonem pontificem semper ab altero Italiæ limite constituebant iis mensibus omnibus anno MLIII. Nullus ex tot enarrantium, quos diximus aut vidimus, est multitudine, qui revocet ad hæc loca sanctissimum virum Julio, nec Augusto, vel aliis amplius ejus anni tempestatibus. Omnes eum sinebant apud Beneventanos, & deditum Nordmannis. Ita verax ea demum supputatio noscitur ex his observationibus omnibus hoc modo, quæ sic erat; *intravit autem idem papa Beneventum in vigilia Sancti Johannis baptistæ, & stetit ibi usque ad festivitatem Sancti Gregorii papæ* millesimo quinquagesimo quarto, mense martio; *post novem* denique *menses*. Quæ verba Leonis erant Ostiensis: ex eoque maxime videtur accepisse Mascovius: hunc enim virum principio notaveramus. Historicos autem veteres, quos advertimus hactenus in tota dissertatione, proferunt eos, ut admonui quoque de nonnullis, Acherius, Eccardus, Urstisius, Calmetus, Mabillonius, Meibonius, Pistorius, Muratorius, Leibni-

tius, Freherus, uterque Pez, aliique ſuis in Collectionibus; ut Gattula, vel alii.

XIX. Nunc utriuſque rei comparatio nobis erat in manu. Vel enim falſa putabitur omnis antiquitas, aut notas ad epiſtolam Leonis eas exiſtimabimus eſſe falſas. In qua diſſertatione dixi notas ad epiſtolam convictas eſſe falſi; non epiſtolam dico. Nihil offendit hæc epiſtola, quemadmodum faciunt eæ notæ. Conſtat iis etiam ſeculis haberi litteras, omnis autem conditionis; ut imperatorum, pontificum, reliquorumque mortalium, quicumque ſint; eas, inquam, litteras eo modo nonnumquam dari, ſine datis, ut vocamus: ita eſt, ſine iis indiciis aut anni, ſeu menſis, aut diei, ſeu loci, vel aliis. Ego ſpeculabar id maxime de pontificalibus edictis; ut hæc modo conſideratio fert.

XX. Aliqua ſunt eorum ſine indictione, cum formulis aliis: aliqua continent indictionem ſine cæteris formulis. De loco memorant alia quæ de reliquis omittunt; ex eo eſt *datum Laterani*, *datum Beneventi*, vel *ad Sanctum Petrum*, vel *ad Sanctam Mariam*; nam reliquæ notationes aberant. Aliquando locus omittitur, alia præſto ſunt. Et aliud in his abundat, aliud autem deeſt. In edicto Leonis ad Patavinos ita ſignari potuerat, aut datum Patavii, aut datum quarto nonas auguſti: ſeculum recipiebat eas formulas: & hactenus omnia conveniunt cum tota ſcriptione: bene eſt epiſtolæ toti Leonis iiſque notis. Aliæ deinde, quales

aut

aut indictionis, aut pontificatus, aut anni designationes erant, hæ potuerant abesse: nam seculum finebat. Hæ tres ergo notæ posteriores ea temporum consuetudine censebantur inutiles integritati diplomatis: huc autem transductæ magnam scriptis honorificentissimis infamiam crearunt.

XXI. Eo sunt aspectu Patavinæ scriptiones, Inventionis acta, Leonis epistola, quo facile placerent ab omni parte, si numerus unus in altera corrigatur, ut est in Inventione; si nonnihil inutilitatis in altera purgetur, ut est in epistola. Quorum utrumque licebat in exemplis, ut erant hæc nostra, vel immutare voces aliquas, & aliqua demere de supervacaneis. Id enim suspectabam quoque fraudis in explorato librario, ne de litteris aliis Leonis eam clausulam sumpsisset, eam deinde scriptis Patavinis apposuisset, aut ornandi gratia, vel instrumenti fortasse redintegrandi; quandoquidem pro mutilo vilesceret. Alii si velint in eo dolum potius esse, quod amanuensis ex anno quinquagesimo secundo tertium fecerit, ex quinta indictione sextam adulteraverit, ex quarto pontificatu quintum composuerit, idem simul omnia corrumpens, & hæc sciens volensque, non in utramque versutiam commentabor amplius.

XXII. Exposui jam, documentis iis nostris quid esset mali negligentia tractatorum, vel fraude. Bonum, quod est in iis etiam scriptis, asserui. Nam calenda-

ria

ria nostratium simul inspectabam; quale tenemus in archivo S. Justinæ Monsilicanæ, præferens initium seculi tertiidecimi; notatur autem die secundo mensis augusti verbis iis: *Inventio Sanctorum Maximi, Juliani, Felicitatis, seu Innocentium*. Tam valent eæ Patavinæ vetustates, & altera alteri fidem conciliat, aliæ autem aliis. Ita quod malum est in iis, quod vitium est in iis hac eaque causa quam vel ego, vel alii volumus, aut alii præterea velint, id omne parum efficit adversus honorificentiam talium scripturarum quæ se partes in alias explicuerat.

Inventio Sanctorum habetur in bibliotheca Religiosorum virorum Ordinis S. Augustini Patavii. In bibliotheca S. Justinę Patavii, atque in eo tabulario. Litteræ Papæ Leonis in archivo S. Justinæ Patavii: habentur & in viridi quem vocant Codice. Vulgavit eas antehac Bernardus Pez.

Hæc omnia continentur in Codice Diplomatico quem pro Patavinis antiquitatibus habeo diu paratum domi; si cetera vel ceteri mihi meæque diligentię respondeant, ut decet.

CA-

CAPUT X.

MLXIV.

OUdelricus in hunc annum princeps religionis apud Patavinos edidit decretum confirmandis opibus juribusque monasterii Sanctæ Justinæ: tametsi non unum sit hoc amicitiæ vel argumentum liberalitatis adversus eos monachos eumque locum toto pontificatu clarissimi viri præsulis. Hic initium tractandi fit a Gauslino atque Urso prædecessoribus, a quibus ædificatum vel instauratum cultumque coenobium significabatur: eó pontifex etiam Burchardus intenderat; ut suo anno commemoravimus. Hæc Oudelrici concessio, confirmatio, tractatio continet hac interim descriptione; molinos quatuor in fluvio Rotrone compositos in Pontemolino, quem vocamus: & ecclesiam sanctorum archangelorum loco Vantio; terram Senodo cum suis finibus & terratico; terras vineasque Prato novo; vineas etiam de Rudena; Curtem Galbanam cum finibus ejus, & quartis, ac decimis: ædem Sancti Martini prope Montemsilicem cum casis & massaritiis & famulis ibi manentibus, & quartis ac decimis: & massaritias de Tribano, Pernumia, Capitesilue, Aire, vel alio vocabulo Are: curtem quæ Mansione dicitur in comitatu Veicetino; Sacellum præterea Sancti Galli, cum rebus

omni-

omnibus & famulis ibi, quartis & decimis: ædiculam Sancti Angeli cum decimis & quartis: & decimas & quartisium de curte Maserada seu Macerata: decimas item de Corniclana, Braidepalea, Casamurata, Vicoleone, Carpeneto, Robolone; *simul & clausura*. Concessit hæc Oudelricus in conventu suorum *fidelium clericorum & laicorum*, communique voluntate. Duos, ut dixi, præsules memorat Oudelricus in suis litteris, Ursum, Gauslinum: de tertio, qui Burchardus est, omittens: eumque nos tamen adjecimus. Oudalricus enumerat monasterii bona, tamquam de scriptis Ursi atque Gauslini pontificum: sed ea de tabulis erant Burchardi. Chartas ante me posui quatuor; eam Gauslini, deinde Ursi, tertiam Burchardi, denique Oudelrici: constitit Oudelricum descripsisse non ex iis duobus Urso, Gauslino, quamquam prædicabat eos; at ex Burchardo, quem silet. Ex quibus observationibus argumentor ego magis ac magis, ut feci sæpe, formulas harum concessionum confirmationumque liberiores esse; nec historiam semper ex iis haberi: quod maxime sperabatur a Muratorio, dum lis ei fuerat adversus monasterium Sanctæ Justinę.

CA-

CAPUT XI.

MLXXV. ultimis diebus. MLXXVI. primis diebus.

INventio S. Danielis. In hoc argumento propoſui facere quoſdam velut centones ex hiſtoricis præſertim duobus, altero ad exitum ſæculi undecimi, altero ad principium duodecimi. Hæc ratio mihi præſtabilior erat alia, quam cauſis in his aliquando ſequebar, ut de Cavacii longioribus excerptis aſſumerem. Videbatur autem vir ingenio cultuque nobilis id agitaviſſe modo; ſummam totius hiſtoriæ pulcherrima ſpecie repræſentare voluiſſe; ceterum partes alias aliaſque tranſgrediens admodum utiles eruditionibus ejus ætatis, & hujus urbis, in quas omnibus his annis præcipue nitimur. Has adeo cum ſors obtuliſſet, oportebat a nobis in primis obſervantius haberi: ne propius inconſultis eſſet optatiſſimas omnium res ubi receperis abjicere.

II. Duo, quos diximus, hiſtorici ſunt ex codicibus alio quingentis annis, alio quadringentis; altero de S. Petri virginibus, altero de F. F. Heremitanis. Ii, quos diximus, hiſtorici duo plerumque conſentiunt in eo, quod narrant. Poſterior exuberat, exornans; aut exſcriptores alii aliis nova, non facta quidem, ſed verba tranſmiſerunt. Antiquior a deſcriptoribus iis integer eſt, eamque primæ dictionis innocentiam ſervans.

At ii duo, quos diximus, hiſtorici nonnunquam ſibi diſſentiunt, aut in geſtis, aut in ordine, tempore, cauſis. Quarum diſſimilitudinum facies erat, qualis hiſtoriæ fuit omnis ævi, dum plures homines in eamdem ſeriem narrationis invadunt, at omnia præſto non erant obſervationum capita, partes, aut notæ. Ceterum, quæ nunc inter utrumque noſtratium pauca diſſidebant, ea ſic exiſtimabimus utrolibet modo fuiſſe; vel ut prior ex iis, aut ut poſterior hiſtoricus aſſeruit.

III. Incipit legenda S. Danielis. Senior hiſtoricus. Civitas eſt Italica in Aquilegie Veneciarum partibus ſita, Patavis nuncupata; quę olim ab Antenore creditur fabricata; in cujus confinio cenobium eſt Sanctæ Juſtinæ Virginis dedicatum, in quo Sancti Danielis martiris corpus antiquitus erat reconditum: quod in arca ſaxea dignoſcitur quieviſſe; quod decurſis temporibus illic eſſe penitus ignorabatur. Fuerat namque odioſum exterminium civitatis; ideo nulla erat de ſanctiſſimi viri Danielis corpore mentio. Cumque per annorum multorum curricula illic monachi inſediſſent, ſeu Beati Proſdocimi corpus ibi coleretur aſſidue, hunc qui latebat theſaurum nemo ſciebat abſconditum. Sed Deus cuidam in Tuſciæ partibus ceco ſuum dignatus eſt primitus martyrem revelare. Junior hiſtoricus. Erat in Tuſcia Italiæ provincia homo quidam utroque lumine cecus, qui cum per multa temporum vo-

lumi-

lumina nullo medicorum potuit adjuvari suffragio, contemptis eorum collyriis, cauteriis, & cataplasmatibus, soli deo dedicavit spem suam. Nocte quadam, quum leni sopori sua membra dedisset, apparuit ei Sanctus Daniel juvenili ætate floridus, aspectu decorus, leviticis indumentis ornatus, qui sibi per somnium talia familiariter eloqui videbatur: est civitas in Venetia non multum longe ab Adriatico mari sita, Patavium nuncupata, in cujus territorio constructum est oratorium ubi requiescit corpus beati Prosdocimi: & ibi corporis mei locellus in occulto abditus est. Senior historicus. Est civitas quondam nobilissima urbs in porrecta Adriatici maris sinu edificata, cui vicina Venecialis pars vel Aquilejæ adiacet, Patavis vocabulo. Hanc perquire: & Sanctæ Justinæ monasterium ibi non longe subintra, oratoriumque sancti Prosdocimi. Statimque pervigil homo a somno surrexit.

IV. Junior historicus. Nec mora, comite sibi sociato, iter arripuit. Quid plura? venit demum in urbem quam querebat: optatum oratorium invenit; caussam viæ monachis ibi congregatis insinuavit; & ut locus & tempus orandi sibi daretur impetravit. Ducitur itaque per manus ad altare, ac locus orationibus aptus per tractum ei demonstratur. Prosternitur hic in marmoreo pavimento, lapides osculatur, rigat lacrymis. Cumque per aliquot dierum spatia divina pietas lumen oculis ejus reddere distulisset; ac vie socius jam de lu-

minis reſtitutione deſperans eum reducere voluiſſet, cecus ait, propriam domum non repetam, neque ulterius de loco iſto diſcedam niſi videro magnalia dei.

V. Quamvis autem extra propoſitum digreſſionem facere videamur, ut tamen apertius ſciatis ubi, & quomodo cecus ille, de quo agitur, fuerit illuminatus, libet breviter locum ipſum, in quo factum fuit hoc miraculum, deſcribere. In diebus illis extra ultima urbis menia, in loco videlicet quem, ut traditur, campum martium vocabat antiquitas, conſtructa erat baſilica, ubi requieſcit corpus beatę Juſtinæ virginis, & martyris, & corpus ſancti Maximi, & ſancti Juliani, ſanctæque Felicitatis virginis, & trium puerorum, qui vice Chriſti ex Herodiano decreto decollati fuere; ac multorum aliorum quorum memoriam non habemus. Illa namque baſilica marmoreis ſuffulta columnis, ex magna parte marmoreis tabulis ornata & deaurata celeſtium interius ſiderum radiabat ad inſtar: nec mirum quidem; cum illam Vir Clariſſimus & Illuſtris, Prefectus Pretorii atque Patricius Opilio nomine immenſis divitiis conſtruens elimavit. Eſt pręter hanc in pulcherrimo ſeceſſu qui vergit ad meridiem, oratorium ſive templum miræ pulchritudinis conſtructum in honore Dei & beatæ Mariæ ſemper virginis, & plurimorum apoſtolorum, in quo Sancti Proſdocimi corpus tumulatum jacet: cujus parietes humotenus in circuitu vario ſunt marmore cruſtati; pars vero ſuperior

quæ

quæ testudineo clauditur arcu longe lateque deaurata relucet, & opere museleo depicta quasi celeste palatium ac viridantia paradisi prata demonstrat. A memorata basilica porrigitur atriolum pulchrum satis & elegans, per quod modo dicto templo facilis datur accessus.

VI. Sub hujus atrioli pavimento Sancti Danielis corpus in defossa tellure jacebat humatum; quod non incolæ loci non monachi ejusdem cęnobii aliqua ratione illic esse noverant: imo de eo nullam penitus famam audierant. Nam civitas in antiquo tempore à Longobardis per triennium & amplius obsessa, & tandem, ut Longobardica narrat historia, iniecto igne concremata, & solo tenus diruta, & postmodum ab Ungarorum barbarie deleta, & ejusdem loci monasterio exusto atque destructo; abductis a paganis, proh nefas! sanctimonialibus, quæ illic in diebus illis deo serviebant, abductis etiam civibus & jugulatis, nulla super terram in ipso loco Sancti Danielis mentio remansit. Jamjam ad propositum redeundum est.

VII. Quadam igitur die, dum in prefati atrioli pavimento more solito cecus accumberet, & ante oratorii aditum super Sancti Danielis ossa prolixis orationibus insisteret: dulci sopore depressus, utpote fatigatus & mœrens, vidit in somnis Sanctum Danielem eadem similitudine ac forma qua se vocantem in Tuscia viderat, Senior historicus. Viditque assistere virum quem

suis

ſuis partibus ſoporatus agnoverat, virum ætate juvenem, vultu decorum; qui aiens illi; eſto ſanus, & lumen, quod ſpopondi, a domino ſuſcipe impetratum. At ille hilaris ſurgens, &, ut videret quis eſſet, minime recognovit. Tunc ſtatim dei ſenſit adeſſe ſolamen; & circumſpiciens vidit.

VIII. Junior hiſtoricus. Evigilans ergo cecus, jam non cecus, ſtatim divinum ſenſit adeſſe præſidium. Nam fugata caligine quæ modo tegebat oculos ejus, circumſpiciens plenarie vidit altare quod erat in templo, ac deinde cetera circumſtantia. Proſiliens itaque lætus & præ gaudio, ut in talibus aſſolet fieri, deflens, nullo ducente deambulabat. Et progreſſus ad monachos, quos propius invenit, narravit eis omnia quæ ſibi per dei miſericordiam acciderant. At illi deduxerunt eum ad abbatem, ut illi eadem recitaret. Quibus auditis, cucurrit abbas una cum viro illuminato ad prediĉtum oratorium obnixe rogitans, ut ſibi locum, in quo quieverat, oſtenderet. Oſtenditur itaque illi locus, & Sanĉti Danielis ſchema deſcribitur. Magnum igitur in monaſterio gaudium exoritur & alii certatim ad ſonanda tintinnabula curſitant, alii laudes deo decantant.

IX. Ea tempeſtate prefatum monaſterium regebat abbas nomine Johannes, vir bonus, mitis, ac ſimplex, & timens Deum. Senior hiſtoricus. Erat eodem tempore vir per omnia valens epiſcopus Uldericus qui ſe-

ptem liberalium artium norma fulgebat ; ac physice, Ethice, logiceque disputationis cuncta pernoscens. Quem aggrediens abbas, & per ordinem omnia suggerens &c. Junior historicus. Abbas venit in civitatem, & Ydelricum qui tunc episcopaliter Paraviensem ecclesiam gubernabat, adiit, suggerens ei per ordinem omnia quæ vir noviter illuminatus de sancto sibi Daniele retulerat.

X. Aliud ex antiquo cantico: Confitentes recitemus Hoc quod Sanctus Daniel Reparavit visum Tusco. Danielem hic invenit In Patavium cum pervenit; Primo tumulum Ignoravit; sed monstratur Quo monstrato mox sanatur: Sanus ad episcopum Venit; visa recitavit. Et antistes convocavit Clerum adque populum.

XI. Junior historicus. Episcopus itaque his diligenter auditis, convocato clero & populo, inter cætera quæ illis de christiana religione ministrabat, ea etiam quæ sibi per abbatem fuerant intimata narravit: affuit & abbas, & seriatim eadem cum gaudio recitavit. Senior historicus. Sicque præsul expectare modicum tempus indixit; atque ipsemet quis esset, inquirere velle. Cum paucis igitur evolutis diebus adest cum cereis pontifex, investigare cupit de Sancti Danielis cognomine. Sed accepto tandem consilio ut Dominico peracto natale rem indicatam diligenter discuteret. Junior historicus. Quamvis igitur universus po-

pulus

pulus ad tam sacrum thesaurum indagandum anhelaret, & extimplo ad fodiendum se præpararet, episcopus tamen modicum tempus expectare pręcepit; & semet cum eis affuturum spopondit. Antistitis ergo dispositioni gaudens populus paruit; & cum percepta benedictione ad propria repedavit.

XII. Dominica interim transmissa nativitate, statuta dies advenit: cum ecce memoratus episcopus promissionis suę haut immemor, assumptis secum duobus aliis pontificibus, qui tunc Patavium causa legationis advenerant; assumptis etiam quibusdam ex clero, & populo, viris honestis & religiosis, perrexit ad locum ubi diximus cecum fuisse illuminatum, & una cum prælibato abbate fodere cępit. Sublato autem ex pavimento marmoreis crustis, dissolutis quoque cum cemento ruderibus quæ super venerabilis sepulchri tegmen connexa jacebant, non diu rimando scrobificant: set in proximo quod desiderant inveniunt. Vident namque archam ex albo marmore factam, passim in circuitu ferreis lamis & plumbo ligatam. Nec mora, ferrea vincula dissolvunt, elevatoque archæ tegmine cantantes unanimi voce Kyrie Eleyson, non vident corpus, sed circa illud immania martyrii signa.

XIII. Senior historicus. Erat more antistitum infulis decoratum, sed diversis maceratum suppliciis, corpus parieti confixum clavibus, mactatum fustibus simul omnibusque membris tabefactum jacebat cruore. Ju-

nior

nior hiſtoricus. Jacebat enim Sanctus Daniel ſuper ligneam tabulam ad inſtar ſuæ longitudinis protelatam ſupinus & extenſus; habens ſuper ſe marmoream tabulam ejuſdem longitudinis cum inferiori tabula confixam atque conjunctam: profecto ferrei clavi & enormes, transfodientes ſanctum caput ejus & pectus & ventrem atque omnia membra uſque ad talos, modò dictas tabulas colligabant. Neque hoc prætermittendum, quod ſanguis a tam digno corpore diffuſus ita recens apparebat, ac ſi tunc demum calidus ex vulneribus ſtillaret. Senior hiſtoricus. Quod expertum præſules gaudent, ac de ſancti viri nomine litteras quærunt; quas non in arca, ſed deforis in eo ſaxo exaratum ita repererunt. Hic Corpus Danielis Martiris ac Levite Quieſcit. Et dum legiſſent, non cunctando, ſed abſque mora de ſepulchro elevant corpus ad Sanctæ Juſtinæ altare hymnizando deducunt. Junior hiſtoricus. Adjunctis itaque ſacris odoribus incenſi & thimiamatis elevant ex arca pontifices prætaxatas cum ſancto corpore tabulas, & ante altare Sanctæ Juſtinæ deportantes in mundo gauſape involutas deportant.

XIV. Senior hiſtoricus. Ibi etenim ſinunt: ac ad ſui regrediens ſedem epiſcopus utriuſque ſexus admonet cives, ut corpus inventum devotis mentibus ad Sanctæ Mariȩ domum deferant. Huic etenim definitioni populus non contradixit. Sed die poſtera adſunt epiſcopi tres, canonicus ordo ſimul cum clero ac populo, cum

S hy-

hymnis, cereisque accensis ad deferendum sanctum corpus concurrunt. Illuc namque in manibus alii aromata ferunt; innumerabiles undique ex villis cursitant vulgi: quod per sanctum suum deus inenarrabilia signa declarat: claudis vero redditur gressus, & cecis visus, surdis auditus, infirmis debilibusque sine mora fertur medela. Aspiciunt cuncti, ac de concesso munere gaudent. Quid plura? adest populus cunctus: sed partim antistitis deliberationi assentiunt, partim contradicunt: & malunt illic condere sanctum corpus, quam ad civitatem deferre.

XV. Sed deus omnipotens suæ genitricis domo talem non vult denegare patronum. Vim attribuit clero: & raptum sanctissimi Danielis corpus hymnizando ad civitatem deportant. Tunc prorumpens in gaudio præsul ait; beatus quem elegisti & assumpsisti, inhabitabit in domo genitricis tuæ. Erant igitur utriusque sexus innumerabiles populi qui deo vota persolvunt; ac iter agendo antecedentes & consequentes altisona voce decantant. Cumque ante muralis ambitum subintrassent, tunc sancti Danielis corpus deponunt, ibique pontifex salutaria populo monita dedit; seu in loco illo basilicam sanctissimo viro construere jussit. Iterum anxie corpus clerici tollunt, ad sanctæ Marię domum noviter constructum lætabundi deportant.

XVI. Junior historicus. Præsules qui in civitate pernoctaverant, inito consilio rediere, ut sanctum corpus

ad

ad majorem ecclesiam sanctæ Mariæ transferrent in urbem. Et licet ex laicis nonnulli dissentirent dicendo sacrum monasterium non debere suo martyre defraudari, pars tamen major, & clericalis ordo episcopali definitioni assensum pariter & suffragium præbuere. Cum ingenti ergo gaudio elevant gratum onus & dum in urbem transferre cupiunt usque in suburbium sine labore deducunt. Sed cum trans vallum devectum fuisset, cum tanto gravamine, mirabile dictu, vectorum pressit humeros, quod non tam deportari, sed nec moveri de loco in locum poterat. Quid ergo? deflebant antistites, & omnis clerus, stupebant senes atque plorabant, viduæ solutis crinibus incedentes palmis & pugnis pectora non cessabant tundere; non plangebant juvenes trepidæve puellæ, gangibant, & more infantium vagibant.. Prætereo, quod contra naturam hyemalis temporis tanta fuit in aere commotio, ut horribilis ad instar tonitrui magni fragor sine intermissione crepitaret, ut lampades & coruscationes fractis nubibus interpolarent, & grandinosæ pluviæ non more pluviarum, sed fluminis profluerent. Quisque sibi timebat, quisque occulta quæ commiserat delicta mente tractabat. Alii dicebant: indignatio dei descendit super nos, quia de loco suo sanctum dei avellere tentavimus. Alii clamabant: ideo iram dei meruimus, quia sanctum virum in civitatem pollutam, & fæce peccaminum sordidam transferre conati sumus.

XVII. Interea Patavinus episcopus populos admonuit. Deinde subjunxit: vovete domino deo vestro & sancto Danieli, quia si permiserit se ad locum destinatum transferri, hoc in loco fabricabitis ei basilicam ad honorem & laudem domini Nostri Jesu Christi. Cumque populus votum juxta præsulis admonitionem vovisset, & episcopus eos crucis signo benedixisset, confisus in dei adjutorio cepit elevare venerabile corpus, & invenit illud consuetę levitatis. Gaudent igitur antistites, gaudet & omnis populus, & voce consona decantant hymnum. Rex gloriose Martyrum. Elevataque gloriosa ossa in domum sanctæ Mariæ noviter constructam lætabundi reportant. Senior historicus. Tunc intrant januam, ac domum gratum deponunt. Lętantur vero pontifices, seu devotus populus cum toto clero de sibi a domino concesso munere. Tunc sagacissimus pontifex admonet sibi creditum gregem, dansque illi cælestia pabula, ut per hęc terrestria mala respuant: monens iterum ut nocturnas diuturnasque sanctissimo imponerent excubias corpori.

XVIII. Junior historicus. Deposita vero ibi dulci sarcina, & a pontificibus antiphona decantata; clerus & populus digna cum reverentia instruitur ad vigilias. Senior historicus. Quas devote impleverunt.

XIX. Inito consilio pontifex de dei basilica consecranda: quod annuunt populi simul cum clero: ac eum ut agat subnixis vocibus poscunt. Tunc diem in-

dixit

dixit antistes, & se quarto Kalendarum januarii mensis promisit esse facturum: implens illud igitur dictum factis. Sed more solito dum nocturnas patrociniis imponerent vigilias sancto corpori, & dum cæli sidera conspiceret civilis vulgus, & quamvis hyemale frigus teneret signa, contra naturam temporis subito coruscatio exoritur, fulgura coruscantia ac tonitrua præmaxima audiuntur in ethere; qualia nunquam se populi audisse referunt. Mirantur ergo præsules cum clero ac populo, quod deus desuper talia dignatur infundere. Credunt tamen ob sancti Danielis meritum cælitus fuissent ostensa.

XX. At sequuta vero die adsunt pontifices, mysteria consecrandæ implent basilicæ. Sed sanctissimum tandem corpus inhumatum relinquunt. Reperto igitur postera cum ceteris die, consilio eum in occidentali ecclesiæ parte locare; ubi etenim sedulo honoratur officio. Renovantur ergo ibi prisca miracula simul: demoniaci liberantur, infirmi sanantur, restituitur cæcis visus, claudis gressus, surdis auditus, ac beneficia plura cunctis fidelibus. Translatus est autem dei martyr Daniel ac levita a sanctæ Justinæ cœnobio in civitatem Patavium ac locatus est in domo Sanctæ Mariæ virginis dei genitricis septimo Kalendarum januarii: dies vero locationis ejus tertio nonas supradicti mensis, feria t.. Junior historicus. Tertio nonas supradicti mensis feriatur. Senior historicus, item Junior iisdem

ver-

verbis. Reminiſcantur namque fideles ſancti illius annorum domini noſtri Jeſu Chriſti temporis milleſimi ſeptuageſimi ſexti, in quo patrata ſunt quæ ſupra retulimus cuncta. Requieſcit igitur ſancti Danielis martyris ac levitæ corpus in urbe Patavii, in domo ſanctæ Mariæ domini genitricis, in qua beneficia cunctis præſtat fidelibus.

XXI. Aliud ex hiſtorico alio. Venerabile corpus invenit illud priſtinæ ac conſuetæ levitatis: & cum hymno Rex glorioſe Martyrum, aere clarificato ad præparatum locum ſibi cum maximo gaudio deprecatur in eccleſia majori: quo depoſito inchoatur antiphona; Beatus quem elegiſti, habitabit in atriis tuis. Et ſic in arca marmorea, ubi nunc cernitur, ſepelitur; feſtumque celebre ſtatuitur tertia die januario intrante, anno nativitatis domini noſtri Jheſu Chriſti currente milleſimo LXXVI.

XXII. Qui ſcriptor hic ultimus eſt in eodem codice FF. Heremitarum. Semel his centonibus intexuimus & canticum vetus: hoc autem de tabulario ſancti Petri fuerat. Utrobique manent in iis manuſcriptis aliæ ſimili modo cantiunculæ, quæ verſibus alternaverant eas hiſtoricorum ſcriptiones. Et habemus in archivo Monſilicano calendarium, quod alibi memoravimus, initium ſæculi tertiidecimi præferens, eam tertio nonas januarii memoriam deſignans iis verbis; *collocatio ſancti Danielis martyris*. Atque ibi ſunt aliæ, ſi-

mul

mul alibi aliæ Patavinorum sunt) in sanctum virum commendationes omnis ætatis, & omnis ordinis ac generis ex tabulis publicis, ex publicis ædibus, ac monetis publicis.

XXIII. In primis observavimus historicos eos duos, in quos ab initio commentabamur, ex quibus unam præcipue narrationem fecimus. Ii sic hactenus habuerant, ut alter alterum toties assequeretur, ut alter alterum toties anteverteret. Junior historicus a vetustiore multa desumpsit, ordinem, sententias, & modos, ac sæpe voces. Idem junior historicus adhibuit & de suo multa, notabiliores origines, aliasque descriptiones, præsentis ac præteriti temporis opportunitates. Utrumque putavimus agere de bonis indiciis. Aut, si quid in contrarium nonnunquam fuit iis maxime locis ubi differt inter eas tempestates aeris, hoc advertimus ab initio, vix ullas esse facti cujuspiam narrationes a pluribus hominibus, ut non inter eas aliquid aliquando dissidium fuerit.

XXIV. Ceterum se pleraque sic ex duobus his narratoribus efferunt, eamque de monumentis aliis authoritatem tenent, ut præclarus hic ab utroque scriptore mihi demum sit apparatus historiæ temporis ejus, & Patavinę religionis ac civitatis. Ego qui soleo de minimis partibus, ut casus hac illac dabat, tantum opus conari, vellem potius has ad usum mihi majores fuisse moles, a veteribusque paratas. Cum præsertim pro

stu-

ſtudiis meis idem exiſtimem Patavinas hiſtorias, aut a me compoſitas aut ab aliis, edere.

CAPUT XII.

MLXXVI. X. Januarii.

DIximus acta ſancti Danielis, Inventionis, adeo proba comprobari magis inſtrumentis aliis omnis ætatis, iiſque probatis: & hęc ſtatim charta fidem dicto noſtro facit. Acta quidem ſancti Danielis eo modo narraverant, ædem tum Divo promiſſam voto populari, dum tota civitas in ejus obſequium vel admirationem rueret. Hęc autem charta præſens teſtimonium eſt ejus ædis, ac Patavinæ religionis. Ait: *terra cum capella edificata ſuper ſe que eſt conſtructa ad honorem ſancti Danielis foris civitate Padua in loco qui dicitur Turreſelle prope ſpaldo*. Prorſus ubi ſignificabatur in Actis. Et ait charta *capellam* vel ædificatam, vel ait conſtructam, quæ cœperat ædificari, quæ conſtrui cęperat; formulis communibus ejus ævi, de quibus ingerebam ſæpius in hoc opere. Terram ſimul ædemque quæ parabatur, ad ſuum jus pertinere pontifex Patavinus aſſerit, & quæ juris erant ejuſdem ſacelli. Tamen hæc omnia vult adſignari monaſterio ſanctæ Juſtinæ

ſan-

ſanctique Proſdocimi ſito extra civitatem, ubi multa corpora ſanctorum requieſcunt. Ita Oudelricus epiſcopus adverſus Joannem abbatem. Præterea ſe manu ſua ſignavit antiſtes. Id actum civitate Patavii. Legem Romanam profitetur Oudelricus: eam Ritichero, Prando, Baroncello teſtes. Alii teſtes Liutulfus, & Maginfredus ejuſdem filius.

CAPUT XIII.

MLXXVI. III. Kal. aprilis.

NOvæ religionis ac pietatis argumentum aliud, *obtulit etiam Ouldericus, ut abbas quotannis inſtituere poſſet publicas nundinas prope templum ſancti Danielis, recepto inde emolumento quodcumque ex divenditis rebus obveniret*. Ut ex antiquo Cavacius interpretatur inſtrumento: nec abeſt id a manibus noſtris: immo duobus ejus exemplis utimur: ut aliud nonnulla præter aliud fert. Jam primum incipit in inſtrumentis hic audiri nomen Lignarii: tamen amplæ monachorum facultates in iis partibus antea fuere. Nec Oudelricus *eumdem pagum diviſit, cujus pars ad auſtrum cum prædiis uſque ad paludem Memoram monachis pareret, ſeptentrionalis epiſcopo ſubjecta eſſet: ut hactenus pagi*

pars altera episcopi, *altera abbatis appellatur*. Hæc etiam Cavacius proponit. At partes eas Lignarii duas ab antiquioribus ætatibus æstimari vult hæc Oudelrici charta, monens de Lignario scilicet a *latere monasterii*, de Lignario ex *alio latere*. Factas diu Lignarii utriusque distinctiones Oudelricus admonet, non eas facit. Adjicit autem præsul hoc instrumento *districtionem* Lignarii monachorum, sive jurisdictionem, qui mos eorum temporum fuit. Ergo monachi fundos & agros quos ante possidebant ab ea parte Lignarii, nunc eos alia nova ratione possidere cœperunt ex edicto pontificis. Eas terras & earum colonos obtinere debebant ut comites ac principes: eæ terræ fiebant arimanniæ monachis, ii coloni fiebant arimanni. Quemadmodum Patavinus præsul erat comes Saccensis, & Lignarium pertinebat ad Saccensem ditionem, comes earum partium cedebat monachis jus potestatemque suam vel in vectigalibus aut in judiciis, aut in aliis muneribus. Hæc erat districtio seculis iis: hæc Oudelrici donatio fuit. Alio modo fuit donatio decimę *totius alodii ecclesiæ quæ ad novum venerit*. Nam sacra Lignarii ædes habebat privatos fundos: & hi fiebant aliquando novalia terræque novæ, cultura temporum eorum, de qua tractatur annis præteritis in opere majore. Horum novalium decimas Oudelricus attribuit monachis. Hæc non erat jurisdictio; fuit census. Eodemque modo Memora palus assignabatur ex latere alio Lignarii; de

qua

quà significatum fuerat. Dum vocabulum palus non ut aquæ stagnantes, at humiliores terræ noscantur eadem seculi consuetudine. De Lignario satis explicuimus. In villa quoque Maserata donati sunt ab episcopo monachi nostrates; *idest totum & integrum illarum decimarum quod vocatur quartese*: vel institutum, quod ait Cavacius *exigendi quadragesimam frugum ex toto agro*. Egit ea die pontifex in regione Saccisica, loco Plebe, cum suorum clientum comitiva. Notantur ex iis Chonradus vicecomes, Agicardus de Vicuncia, Allo, Berardus, Ermenaldus, Gumpertus, Alticherius. Edidit mutilam Muratorius hanc chartam tricesima sua dissertatione. Quædam ex ea nec intellexit: & similia iis se non intelligere de chartis iis nostris professus est in dissertatione XXXVI.

CAPUT XIV.

MLXXVI. Prid. Kal. aprilis.

Et haberi Danielis exuvias iis diebus in æde principe S. Mariæ noscitur ex alio scripto quod adhuc restat in ejusmodi formulas: *canonica sancta Maria, & sancto Danielis ubi corpus sanctus requiescit, Pataviensis ecclesie*: rursus, *in eadem canonica sancta Maria,*

& sancto Daniele martiris: adhuc; *in eadem canonica sancta Maria, & sancto Danielis martiris.* Hoc egregium rei documentum semel iterum tertio nobis in eadem pagina conspiciendum se dabat. Huic quidem sedi canonicæ Conradus & Beltruda vir & uxor offerunt terram arabilem campum unum; parte nemoris aliqua; jacet in finibus urbis in loco Ruibano, juxta viam publicam. Agunt in civitate Patavii legibus Romanis: iisque testes etiam Gauselmus, & Dominicus Faxolo, præterea Vivenzo. Alii testes Martinus, & Raginerius. Id rude scriptum, tamen autoritate decorum perstat in archivo templi majoris ejusdem Patavinę sedis ex originalibus.

Ad caput quod erit XV.



Reliquiæ Patavini Theatri velut Eugubini apud M. Sartium.

CA-

CAPUT XV.

MLXXVII. IV. Calend. martii.

Actio de Sanctæ Justinæ bonis ac juribus habita Patavii propior ea quidem spectaculo quam judicio fuit: instrumentum quoque præferens eam proditur aspectu pulcherrimo, primæ fine dubio manus; adsignatum duumviris augustalibus, antistite civitatis, aliis hominibus: haud absurde quasdam partes ejus habuit Cavacius; haud recte statuit de toto eo Muratorius, haud omne tanti monumenti pretium adstruit Pezius. Advenerant Patavium legati regis, alter est Sigefredus, alter Moizo nomine: regium tribunal instituerant hic, in domo pontificis: in conclavi, quod subter erat, æde pontificali, jura dabant administri principis; eo loco permittente præsule civitatis Oudelrico, simul adsidente: præter eos & Alberto Patavinorum comite. Qui vir anno millesimo sexagesimo nono sic audiit: ego *Albertus comes filius quondam Ugonis, & nepos Manfredi comitis* olim filii majoris Ugonis origine Candianorum principum. De quo demum sanguine prostant manifesto vocabulo comites Patavinæ civitatis. Hæc aperuit ante tres annos egregius Gradonicus, in urbe Clodiense nunc sacrorum princeps. Aderat autem concilio Patavino cum ceteris O-

gerius

gerius ibi, quem domo Fontaniva putamus, advocati ministerio seu dignitate. Notantur alio titulo alii. Valerius judex, Oddo judex, Ugo judex, Cadalo judex, Odelgerius judex, Odelricus judex, Allo judex. Alii præterea boni viri, quorum sunt nomina; Penzo, Vitto, Ugo, atque Vitto, Frogerius, Adelardo, Bertaldo, Sigibaldo, Rozo, Joannes de pre Rozo, Bernardo, Ermenardo, Attingo, Teuzo, Liuprando, Azo, Toringo, Martino de Zuliana, Donatus, Albertus: & reliqui plures, admodum scribendo nimis adnumerandoque: sicut eos actorum scriptor in summam profitetur. Hos autem, qui propria tamen appellatione vocati nunc erant, omnes in censum transtuli meorum commentariorum; sperans iis plerisque nominibus hominibusque trahi multas historiæ Patavinæ successiones ac familiarum derivationes. Hoc itaque mortalium congressu Joannes adstitit abbas pro suo monasterio Sanctę Justinę, cum suo pariter advocato, cui nomen Uberto.

II. Scripti verba ferebant indicium quarumdam quęstionum de Sanctæ Justinæ possessionibus aliis aut aliis. Hęc enim simul abbas & advocatus ejus obtendunt, eoque modo; *cives*, inquiunt ii, *vel intra civitatem vel extra nobis intentionem mittunt*. Hæc erat intentio qualis aut querela dicitur, aut lis alterius partis adversus alteram. Cives adversus eos Monachos intendere, contendere, judicio agere: capita præterea que-

rela-

relarum per eos deponi. Primum fuit de *terra* quæ *valle da mercato* dicitur; & *prato cum Zairo*, domibus, hortis: hæc erant prope cęnobium confinibus iis, uno latere via ſtrata ſilicibus, ab hac uſque fluviolum; aliis partibus idem cœnobium tenet. Alterum fuit caput querelarum *de fluvii Rodolonis aqua* loco ſubtus eum Vicentinum pontem ſive Molinum; ſcilicet habendæ ibi molæ atque tenendæ. Tertium, ſi quod erat, hoc etiam jactant, de quibuslibet cœnobii rebus, agris, domibus, ac decimis, & ſervitiis, aut beneficiis. Id enim fatemur: eſſe chartas huic interdum ſimiles ex antiquitate, quę præferre videntur eas intentiones, aut fori contentiones: at fere ſunt edicta patrocinii publici, vel emunitatis, ut hæc etiam ſeculum vocabat. Et nonnihil attendi chartam quoque præſentem, num ſpectaret ad hunc ordinem potius; ut dedi nonnullas in annalibus anno maxime milleſimo quinquageſimo quinto: ceteras autem dabo poſt. Eæ chartæ ſic habentur, ut ſpecie quadam jactationis apud judices adverſus alienam factionem: quæ tamen eſt nulla; nec ulla forenſis altercatio. Tantum petitiones erant edicti defenſionis a magiſtratu; ſimul exhibitio. Multum ſimilitudinis ergo cum ſcripturis iis hæc mihi pręferebat; ut apparatu ſcilicet eo tot actorum formularumque, denique clamorum ſignificaretur id unum; bona Sanctæ Juſtinæ poſſeſſioneſque muniri decreto regii miniſterii; nec adverſus aliquos, aut aliquem qui contradiceret.

IV.

IV. Hæc existimans id præterea suspicabar, ultra modos eos, aliquid huic inesse tractationi, sive scriptioni: parum dici chartam tuitionis; appellandam quoque judicatus. Antea proposui, quæ vel abbatis expostulatio vel advocati fuit. Ex iis ergo dictis interpretemur, id esse publicum judicium, præter edictum publicum: maxime quod hoc eveniebat ex eo: nec ex alterutra definitione mutat negotium seu factum Sanctæ Justinæ. Bona cœnobii pro se rescriptum tulerunt, id constat; ex judicii colluctatione probabile est: hoc, an alio modo fuerit idem valet. Demum propositio maneat quam fecimus ab initio; causamque præsentem persequamur, ut actionem disputationis ex utraque parte.

V. Notaveramus hæc ut adversariorum capita, primum de valle mercati; alterum de fluvii Rodolonis aqua; tertium de bonis quæcumque forent, aliis. Hic & ordo tractandi fuit. Accepto quæstionum libello missi regis interrogaverunt judices. Hi responderunt, se caussas & instrumenta partes in omnes agitare, nullos ibi, præter hoc cœnobium, dominos aut possessores occurrere. Quod sapientum responsum coram civibus invaluit. Ergo missi regis interrogaverunt *omnes cives*, quinam vellent ex iis huc juramentum suum dare. Tres ex *eisdem civibus* accesserunt; Azo advocatus, Martinus de Juliana, Donatus Guaragnolo; se paratos ad jurandum dixerunt: alii tacuerunt: ex iis

nemo

nemo reclamabat. Ii tres ad sancta Dei evangelia singuli jurabant de valle mercati, de Zairo, de terris in ambitu, domibusque; sicut erant, a *silice*, vel a *flumisello*, vel a *mercato* monasterium usque; sunt omnia Sanctæ Justinę. Missi regis interrogaverunt iterum judices. Hi responderunt ex lege; cives injuria repetere.

VI. Tum dixerunt ad cives; *venite vos omnes cives, & refutate in manu domni abbatis istam vallem cum illo Zairo.* Cives igitur omnes ad tribunal accessere, *quantique potuerunt tangere fustem*, *refutaverunt in manu Johannis abbatis & Oudelrici* pontificis. Ea de nostro monumento fuerunt. Ad ea Cavacius hoc modo: *libet describere ex tabulis vetustum morem, quo prætensis renunciabatur*; ait: *virgam ab judice extensam adversarii tangentes profitebantur renunciare*, *nec aliud quicquam repetere. Præstiterunt id Patavini cives quamplures.* Arcanam vetustatem Cavacius habuit aliter a vero. Nam ritus in hunc modum fuit, atque ita scriptum Patavinum vult. Accesserant cives: ii festucam virgamque sumpserunt: apprehenderunt eam simul omnes ii, quotquot attingere præ longitudine totam potuerunt, eamque dederunt abbati Joanni, episcopo Oudelrico: sic a peticione sua populus ac civitas recessit. Ex eo genere judicium legimus habitum *civitate Corneliense*; nongentesimo nonagesimo octavo, Muratorii decima dissertatione. Missi regis eorumque judices *in generali placito* fuerunt: aliqua Sanctæ Ma-

riæ bona cœnobii, quod appellatur *in Palatiolo* falsis quæsitoribus impetebantur: eo denique conventum est. Ibi, *præsentibus omnibus adprebenderunt Gerardus, & Racco, atque Guido, germani, filii quondam Guidoni, virgam in manibus illorum, & miserunt in manum Ursus presbiter & monachus adque prepositus monasterii sancte Marie quod vocatur in Palatiolo, & in manum meam predicto Dominicus qui vocatur Teucio, tabellio, avocato ejusdem monasterii; & dixerunt, ecce refutamus vobis medietatem fundi qui vocatur Armentaria cum terris, & vineis* &c. Nostrum Patavinum videtur in hac parte vel in aliis talibus ut exscriptum de Corneliense.

VII. Valli mercati renunciaverunt in hanc formam Patavini cives; id enim primum caput inquisitionum fuerat. Alterum, quod erat, de Rodolonis aqua putabimus eosdem cives eadem facti significatione dimisisse. Certus est hic unus agens pro ceteris Ugo de Ypolito. Charta præsens eum, post primos Patavini communis actores tres, alium designabat in hoc alio pacto. Simul eadem credimus esse de tertio petitionum capite; mobilibus, immobilibus omnibus omnis ordinis ac generis honestamentis, opibusque. Cives ac populus ob ea nunquam facere contra Justinam promiserunt; eandemque cessionem, vel quod ajebant refutationem simili proposito notarunt. Hæc omnia civitatis acta coegerunt in unum legati Regis; ut in pla-

cito

cito Corneliense, firmarunt adversus eos, qui post translatam virgam, possessionis indicium, vellent aliquid aliud, aut renovarent easdem querelas in easdem res ac possessiones.

VIII. Ait scriptum Patavinum; qui contra fecerit agnoscat se compositurum duo millia mancoseos aureos. Ait scriptum Corneliense; *qui fecerit, sciat se compositurum Bizanteos aureos*. Ita quærimus; an scripti Patavini mancoseos, aut mancusos aut manucusos aureos interpretemur ex Corneliense Bisantios aureos; aut aliarum quoque monetarum quæ similis æstimationis erant: id enim potius arbitror. Eam mulctam dividere mos erat; *medietatem cameræ regiæ, medietatem prædicto monasterio*.

IX. Virgam, quæ fuit indicium possessionis, observavimus hoc judicio, seu, quod est etiam vocatum, spectaculo, translatam civium Patavinorum manibus in manus Joannis abbatis, Oudelrici pontificis. Hoc ad jus monasterii faciebat, ut manifestius abbati possessio cederet; ut dominii signum, quod hactenus iis duobus, ut dominis, alternabat, inter alterutram denique partem discerneret. Huc itaque pars ultima judicii pertinet. Oudelricus, ut *virgam refutacionis* ex civibus populoque per abbatem susceperat, abbati *dimisit*. Omnis actio, ratio, jus abbatibus in posterum cœnobioque mansit. Eadem vero mulcta pontifex agere, si post repudii tabulas iterum affectaverit,

X. Hoc unum sibi deprecatus est; *ut concedas*, ait, *mihi fodere de Zairo aliquantas petras, ut possim persolvere debitum, quod habeo in Venecia*. De Zairo sæpius objectaverat hoc scriptum, semel, iterum, quinquies, septies, decies: id & *magnum* dicit *antiquitus ædificium* fuisse: nunc erui lapides etiam dicebantur ex eo, magnis debitis alicubi solvendis. Equidem puto, non proponeret Oudelricus aut nunciis regis, aut urbis universæ civibus hoc suum, quod ait debitum, si parvo res existimaretur. Id præterea Zairum describitur in media valle mercati stetisse ruinis ingentibus. Ex eaque tempestate post annos etiam quadringentos ita comperio, nostrates homines, ut erat Ongarellus, aspectare suis adhuc oculis aliquos Zaeri muros, qui tum supererant: hoc autem admonet is lib. I. cap. IV. Cavacius habuit præsentia tantum *fundamenta*, vel *vestigia*, *quæ in ipso prato vallis conspiciuntur*.

XI. Hæc itaque Zairi conditio situsque, simul usus, aut possessio: nam jus, regium potius erat; ex eoque participabant episcopi nostrates. Ii Monachis, ut alia, sic Zairum permiserunt. Anno tamen alio millesimo septuagesimo nono rex iterum firmabat Oudelrico *nominatim* quoque *Zadrum cum pratis & omnibus adjacentiis suis*. Alia præterea ferebantur anno millesimo nonagesimo cæsaris ad Patavinos pontifices; ea maxime: *quicquid ad nostram imperialem potestatem pertinet vel pertinuit tam in muris quam in viis seu aquis*

& omni-

& omnibus quæ dici vel audiri possunt ad terram pertinere, *concedimus*, inquit: *arenam quoque cum satyro*, *cum famulis & famulabus ad eamdem pertinentibus*.

XII. Hic injecimus & de nomine, de vocabulo, de significatione Zairi; quod verbum maxime barbaricum sonat. Hic & Zairum vidimus, & Zadrum: nam de Satyro mox erit. Observavit & Maphæius, apud Polam urbem dici collem quendam, Zari; quo loco Theatrum fuisset. Has autem voces, ut Zarum, Zadrum, Jadrum communes iis ait seculis. Apposuit & chartam, quæ millesimo CCC. tertio memorat *ibi duo antiqua palatia Jadrum & Harenam: quicumque accipit aliquem lapidem de dictis palatiis Jadri & Harenæ*, *pro quolibet lapide solvit bizantios centum*. Derivat hæc Jadrum, Zadrum, Zarum, de Theatro; corrupta recentium pronunciatione. Sic alia de Græcis aut Græcobarbaris apud Italicos mutari litteris adfinibus. Hæc in ultima parte Veronæ suæ, capite ultimo vir immortalis elaboratissimum de Theatris aut Amphitheatris opus absolvens. Hæsi, dum viderem Cavacium longe meliores hic interpretationes edere. Nam deducit ex Satyro. De Satiro Zatirum, de Zatiro Zairum factum fuit. Hinc aliud Zadrum pro Zatro, seu Zatiro, Satiroque. Tum Polæ similia nostratibus ædificia similibus iis appellationibus. Eadem pronunciandi corruptela penes utramque gentem fuit. Rideas de popularibus his nostris, ut hodie sunt: si de Satiris eos

in-

interroges, omnia de Zatiris enunciabunt. Ego de Cavacii magis interpretatione decerpsi, quam descripsi. *Zairum ex rescripto Augustalium legimus extitisse antiquitus ædificium maximum. Habemus ex monumentis hujus cœnobii Theatrum in campo Martio olim stetisse; ex quo defossi lapides ad construendum cœnobium translati sint. Visuntur adhuc veteres parietes ex his constructi. Sed & Zairi vocem obnixe quærenti visum est ex vulgari sermone forsan mendum inesse. In vetusto privilegio Cæsar arenam cum Satyro dedit, famulis, & famulabus ad eam pertinentibus. Arena*, vel amphitheatrum *adhuc spectatur pone templum Eremitarum. Satyrum locum esse, ubi scena instar silvestris alicujus regionis excitaretur ad poemata Satyrica recitanda, deducimus ex Vitruvio Pollione. Itaque si theatrum nostrum ad Satyricum opus distinctum ab Arena dicamus; & pro Satyro Zairum scriptum? ut illius ætatis fuit latinas voces depravare.*

Magnam laudem Cavacius ex hac interpretatione depoposcerat sibi præ maximis hujus ætatis antiquariis.

FINIS.

SCS · PROS DO
CI MUS EPS

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.